9 4. 325

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HIERONYMI VIELMII
ORDINIS PRÆDICATORUM
EPISCOPI ÆMONIENSIS

DE

DIVI THOMÆ AQUINATIS
DOCTRINA ET SCRIPTIS

AD JOANNEM DELPHINUM ANDREÆ FILIUM

Patricium Venetum, Ampliſſimum Torcelli Epiſcopum

LIBRI DUO

NUNC PRIMUM ANNOTATIONIBUS ILLUSTRATI.

Accedunt Orationes duæ, habitæ in Gymnaſio Patavino, altera APOLOGETICA, *altera* DE OPTIMO EPISCOPI MUNERE.

His omnibus Auctoris Vita præmittitur.

BRIXIÆ. MDCCXLVIII.

Excudebat JACOBUS TURLINUS.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Hieronymus Vielmius Epiſcopus Æmoniæ, qui olim Argolicenſis, libros duos de D. Thomæ Scriptis emiſit.... digni, qui perlegantur attente ab iis, qui ſeſe daturi ſunt veræ Philoſophiæ, ac ſolidæ Theologiæ ſtudiis.

Antonius Poſſevinus Societatis Jeſu, *in Apparatu ſacro*, V. Thomas Aquinas.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO
TYPOGRAPHUS.

SEmper eorum conſilium magnopere probavi, benevole lector, & ut ſequerer conatus ſum, qui veterum Scriptorum lucubrationibus ab oblivionis injuria vindicandis, ſuoque nitori reſtituendis, egregiam navant operam, ut in iis, quæ ad ſcientiarum cognitionem attinent, non modo præſentibus, ſed quantum fieri poteſt, ipſi etiam poſteritati conſulant. Quamquam enim nullus inde fructus, nulla conſequeretur utilitas (quod tamen ſi quis affirmare auſus fuerit, eum ratio ipſa refellet), hoc uno certe, eoque non vulgari præmio,

Digitized by Google

contenti eſſe deberemus, ab honeſtis laboribus eam gloriam proficiſci, quæ perpetuo in poſteritatis memoria, & prædicatione ſervatur. In hoc adjuvandæ poſteritatis conſilio ipſe quotidie perſeverans, cum Jacobi Bonfadii opera omnia, in unum corpus primum collecta, curante Abbate Antonio Sambuca, Eminentiſſimi Cardinalis Quirini a Secretis, viro literarum amantiſſimo, typis deſcriberem: inciderunt mihi in manus Hieronymi Vielmii Ordinis Prædicatorum, Æmonienſis Epiſcopi, libri duo elegantiſſimi de Divi Thomæ Aquinatis Doctrina & Scriptis, olim quidem excuſſi, ſed qui, ob diſtracta huc illuc exemplaria, rari admodum occurrebant; in quibus denuo excudendis ſi induſtriam meam contuliſſem, plurimum emolumenti Theologiæ ſtudioſis, præſertim vero Thomiſticæ doctrinæ ſectatoribus, me allaturum clare perſpexi. Deſiderium hoc meum editio ipſa conſequuta eſt; quam ut locupletiorem redderem, atque illuſtriorem, duabus quoque ejuſdem clariſſimi Viri Orationibus ornare decrevi. Acceſſit tandem his omnibus Commentarius de Vielmii Vita & Scriptis,

ab

Digitized by Google

ab altero Dominicanæ familiæ alumno P. F. Seraphino Maria Maccarinelli, Sacræ Theologiæ Magiſtro, accurate conſcriptus; tum ejuſdem in duos Vielmii libros (novam enim horum librorum editionem etiam vir iſte meditabatur, quum in hac ſua Patria Philoſophiæ, ac Theologiæ lectorem ageret) annotationes, obſcuris quibuſdam, & implexis locis illuſtrandis accommodatæ. Has amici ſui lucubrationes, quo caſu neſcio, certe tamen, ne, earum Auctore inſperato Bononiam traducto, ibique curis aliis gravioribus diſtento, omnino interirent, aſſervabat in privata ſua Bibliotheca Nobilis & eruditus Vir, Comes Joannes Maria Mazzuchellius: cumque ſuſcepti a me conſilii rationem compertam habuiſſet, eaſdem mihi humaniſſime communicavit, edendique poteſtatem fecit. Habes igitur, optime lector, duos Vielmii libros, ſplendidos quidem per ſe ipſos, nova autem rerum acceſſione ſplendidiores. His, cum per otium tibi licebit, fruere; meumque tui in ſtudiis juvandi deſiderium, quod maximum eſt, læto alacrique animo ut accipias, etiam atque etiam rogo.

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la fede di reviſione, ed approbazione del P. F. Giacinto Maria Marini Inquiſitore del S. Officio di Breſcia nel Libro intitolato *Hieronymi Vielmii Ordinis Prædicatorum de Divi Thomæ Aquinatis Doctrina & Scriptis, Libri duo, nunc primum notis illuſtrati &c. Accedunt orationes duæ &c.*, non v'eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario Noſtro niente contro Principi, e buoni coſtumi, concedemo licenza a Jacopo Turlini Stampatore in Breſcia, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 6. Settembre 1747.

(
(Barbon Morosini Cav. Proc. Rif.
(Andrea Foscarini Rif.

Regiſtrato in Libro a car. 10. al num. 74.

Michel Angelo Marino Segret.

IL-

ILLUSTRIUM VIRORUM

DE

HIERONYMO VIELMIO

JUDICIA, ET TESTIMONIA.

SIXTUS MEDICES

ORDINIS PRÆDICATORUM VIELMII PRÆCEPTOR.
In Præfatione Orationis de Humanæ Induſtriæ præſtantia.

Me tamen in patriam .... evocatum ſubſecutus eſt in eodem lectionis munere Hieronymus Vielmius Venetus, diſcipulus meus, qui eo pollet ingenio, ea bonarum artium cognitione atque eloquentia, ut ſonitum doctrinæ ejus orbis univerſus ſit aliquando cum admiratione auditurus.

GABRIEL FLAMMA

CANONICORUM LATERANENSIUM OLIM ABBAS GENERALIS, ET POSTEA CLODIENSIS EPISCOPUS.
In Opere Italice ſcripto de Vitis Sanctorum, lib. 3. annot. 4. ad Vitam S. Thomæ Aquinatis.

Si quis excellentiam Operum D. Thomæ Aquinatis deſcriptam videre cupit, legat librum de Scriptis D. Thomæ, editum a doctiſſimo, & numquam ſatis pro meritis commendato Hieronymo Guilielmio, Æmonienſi Epiſcopo, cive meo .... Judicio præditus erat Guilielmius profundo, memoria incomparabili, ſolidaque eloquentia .... Innutritus præterea fuerat a pueritia in S. Thomæ doctrina, in qua non prius eſſe deſiit diſcipulus, quam excellentiſſimus evaderet magiſter; intimiores enim, & reconditiores penetravit Angelicæ doctrinæ receſſus, ſplendorem vidit, ordinem obſervavit, pondus ſenſit opinionum præceptoris ſui,

ſui, abſolutamque perfecit anatomen corporis illius, quod pridem fuerat angelico D. Thomæ ingenio informatum, atque de ipſo eximia eloquentia, gravi fundamento, exquiſito judicio ſcribebat, & loquebatur. Utinam ego tanto præceptore quinquennio uſus, ita ejus magiſterio profeciſſem, ut jure potuiſſet meis delectari laboribus; gratum tamen, quoad potero, animum patefaciam, ſummeque dolet, ea me in ipſius laudibus deſcribendis deſtitui facundia, qua ille D. Thomam Aquinatem commendavit.

AUGUSTINUS VALERIUS
S. R. E. CARDINALIS, ET EPISCOPUS VERONENSIS.
In Opere inſcripto: Prælectiones tres, quibus omnis Rethoricæ explicandæ ratio traditur, Prælect. 2.

Doctiſſimus vir, & præſtanti judicio præditus F. Hieronymus Vielmius Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Æmonienſis (quo etiam doctore, dum Romæ, magna ſua cum laude, publice ſacram Theologiam profiteretur, ſum uſus) delineato a nobis operi magnam utilitatem, pro ſua multiplici doctrina, & magna in me benevolentia afferet.

MARCUS ANTONIUS MARSILIUS COLUMNA
ARCHIEPISCOPUS SALERNITANUS.
De Hydraolologia, ſect. 1. cap. 1. num. 14.

Hieronymus Vielmius Epiſcopus Argolicenſis, vir ſpectatæ virtutis, Prædicatorum familiæ inſigne decus, olimque præceptor meus.

FRANCISCUS VARGAS
CATHOLICÆ MAJESTATIS APUD PIUM IV. ORATOR.
De Epiſcoporum jurisdictione, & Pontificis auctoritate, Axiom. 12.

Præcellenti doctrina Epiſcopus Hieronymus Vielmius, qui cum mihi pervetus amicitiæ conſuetudo eſt.

LUDO-

LUDOVICUS LUSITANUS
ORDINIS MINORUM
In Globo Canonum, & Arcanorum Linguæ ſanctæ.

Reverendiſſimus Dominus Hieronymus Vielmius Venetus, Epiſcopus Æmonienſis, perdoctus Antiſtes, & Dominicani Inſtituti ſingulare ornamentum.

JACOBUS PHILIPPUS TOMASINUS
In Gymnaſio Patavino, lib. 3. c. 3.

Hieronymus Vielmus Venetus, vir ſummi ingenii, ac nominis celeberrimi.

RAPHAEL RIPA
ORDINIS PRÆDICATORUM, EPISCOPUS CLODIENSIS.
In Oratione de laudibus Religionis, ac Provinciæ Sancti Dominici.

Hieronymum Vielmium (commemorabo), hominem omnium, quos Sol unquam aſpexit lectiſſimum, ac ſapientiſſimum, qui in ſacra Theologia, ita excelluit, ut Theologorum Princeps ſua tempeſtate, uti facillime, ita veriſſime prædicaretur; qui dignitatibus omnibus, quibus viros illuſtres Provincia noſtra donare ſolet ſæpe perfunctus, atque a Pio V. Pontifice Maximo inter Æumoniæ Epiſcopos relatus fuit: cujus quidem gloriam nulla unquam delebit vetuſtas, nulla inobſcurabit oblivio.

FERDINANDUS UGHELLUS
Tom. V. Italiæ Sacræ, de Epiſcopis Æmonenſibus, num. 61.

F. Hieronymus Vielmus Venetus Ordinis Prædicatorum immenſa eruditione, atque multiplici ſcientia, ſuo Ordini, ac Patriæ non vulgarem addidit claritatem.

HIERONYMUS GHILINIUS
In Theatro Virorum Literatorum.

Hieronymus Vielmius Venetus acri, ac vivido, quo

præ-

Digitized by Google

præditus erat ingenio , lumen evaſit Dominicanæ familiæ ſplendidiſſimum , atque in humanis , diviniſque literis ita profecit , ut communem Eruditorum laudem citra controverſiam ſit aſſecutus.

ANDREAS HIERONYMUS ANDREUCCI

SOCIETATIS JESU.

In Tractatu Canonico Theologico de Epiſcopo Titulari, edito Romæ 1732. num. 270.

Eodem ſæculo XVI. floruit Epiſcopus Argolicenſis F. Hieronymus Vielmus Ordinis Prædicatorum, qui locum hic ſibi vindicat, non ſolum ob inſignem pietatem, ac doctrinam , ſed etiam quia ipſe primus *de Epiſcopo Titulari* librum conſcripſit, ac fortaſſe unicus extitit inter Titulares Epiſcopos, qui Concilio Tridentino interfuerit, eo a Pontifice miſſus, nullius alterius qualitatis ſuperadditæ habita ratione , niſi *ſolius ſpecialis literaturæ*.

DE

Digitized by Google

DE
HIERONYMI VIELMII
VITA ET SCRIPTIS
COMMENTARIUS.

QUamquam Hieronymus Vielmius (1) non ea vixerit ætate, quam vel propter nimiam ab hac noſtra diſtantiam, vel propter Scriptorum penuriam, aut incuriam jure poſſis obſcuram appellare; multa nihilominus ad ejus vitam, atque lucubrationes pertinentia, partim quidem interierunt penitus, partim vero ad hæc uſque tempora adeo latitarunt, ut nemo unus de ipſo ſcripſerit hactenus, qui non omiſerit complura, qui non a vero aberraverit identidem; noſque propterea reconditioribus, certioribuſque monumentis edocti (2) cogemur vel inviti graviorum etiam Authorum errata emendare, & omnino omiſſa frequentiſſime ſuggerere.

Natus

(1) Ita nos malumus Hieronymi cognomen ſcribere, quia hac ſcribendi ratione ipſemet conſtanter uſus in ſuis lucubrationibus, & autographis fuit. Nonnulli tamen etiam Synchroni Authores ſcripſerunt promiſcue *Gulielmum*, *Guielmum*, *Guilelmum* &c. Exemplum videſis in Antonio Riccobono, lib. I. *Commentar. de Gymnaſ. Patav.* cap. 15. & lib. II. cap. 25.

(2) Reconditiora, & certiora heic vocamus monumenta, quæ MSS. pleraque authentica hactenus fere delituerunt. Iſtorum aliqua a ſe ſolertiſſime ex Tabulariis Eccleſiæ Æmonienſis (quæ propterea *Monumenta Æmonienſia* deinceps vocabimus) exſcripta humaniſſime nobis, amico noſtro petente, ſuppeditavit Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus D. Gaſpar Negri Epiſcopus Parentinus, Tabulariorum eorumdem luſtrator diligentiſſimus. Alia vero aſſervantur in Archivo noſtro Veneto ad SS. Joannis & Pauli, diſtributa in faſciculos notatos ut plurimum (aliqua enim nullam habent adjectam notam) numero 108. litera A. addito quoque poſt literam numero ad faſciculos invicem ſecernendos. Hæc ſumma cura conquiſivit, deſcripſit, atque ad nos tranſmiſit eruditus P. Lector Joannes Maria de Moſchenis ejuſdem religioſæ domus alumnus. Voluimus autem virorum iſtorum, atque locorum, unde monumenta hæc habuimus, nominatim mentionem facere, ut omnibus innoteſceret quid cuique debeamus, quamque mereantur ſingula fidem.

Natus eſt Hieronymus Veneriis (3) anno 1519. (4) ex ingenua, & illuſtri familia (5), patre, ut conjicimus, Joanne Baptiſta, Decemviralis Conſilii a ſecretis, viro diſertiſſimo (6). Credibile omnino fit tantum parentem magiſtris ſapientioribus ingenioſum filium tradidiſſe, atque etiam Patavium tranſmiſiſſe (7) humanioribus literis inſtituendum. Certe Patavii Philoſophicas diſciplinas audivit Hieronymus a viro ætate illa ſummo, Marco-Antonio Paſſero, Genua cognominato (8), publico earumdem in Patavino Gymnaſio profeſſore.

Adhuc adoleſcens ſeculi illecebrarum pertæſus, & Deo

(3) Quonam fundamento nixus Nicolaus Comnenus Papadupolus in *Hiſtoria Gym. Patav.* Tom. I. lib. III. ſec. 2. cap. 16. num. 81. Vielmium fecerit *origine Klatum*, penitus ignoramus. Auguſtinus Oldoinus in *Athenæo Auguſto, in quo Peruſinorum* &c. pag. 145. eumque ſequutus Ferdinandi Ughelli Editor Venetus Sebaſtianus Coletus, Tom. V. *Italiæ Sacræ*, colum. 252. num, LIX. in annotat. marginali, Vielmium dicunt Peruſiæ ortum, & ſola origine Venetum. Ludovicus Jacobillus in *Bibliotheca Umbriæ*, pag. 135. admodum obſcure de Vielmio ſcribit: *Ortus quidem Peruſia, ſed natalia ſortitus eſt Venetiis*. Unde hæc didicerint Hiſtorici iſti, divinari neſcimus, præſertim, quum teſtem dent cumprimis Cæſarem Criſpoltum in ſua *Perugia Auguſta*, lib. I. cap. 22. & alioqui Criſpoltus ibi Vielmium aperte Venetum ſcribat, ſolumque progenitum tradat ex eadem gente Gulielmorum, quæ Peruſiæ ætate Criſpolti florebat. Certe Vielmius ipſe ſe, eumque ceteri omnes Scriptores, quos videre nobis licuit, & coætanei, & ſuppares, & monumenta omnia authentica Venetum dicunt, nulla facta mentione Peruſinæ originis, aut nativitatis. Vide etiam annot. 5.

(4) Annus iſte natalis innoteſcet ex anno emortuali inf. annot. 58.

(5) Vir nobilis Petrus Gradonicus ex confinio S. Juſtinæ Venetiis multa nuper collegit monumenta ad Venetas, præſertim Patricias familias, earumque genealogias ſpectantia, in quibus ubi de gente Vielmia ſermo fit, narratur eam non longe poſt exordium Seculi Eccl. VIII. Heraclea ad Rivum altum traductam inter Patricias floruiſſe in Veneta Republica, ad annum uſque 1297. quo anno ſciſſa gente illa in familias duas, altera in Patriciatu remanente, altera ad inferiorem ingenuorum civium ordinem, nobilem tamen, redacta eſt. Prior illa patricia familia non longe poſt omnino defecit. (Vid. Marinum Sanutum *de Origine Urbis Venetæ* &c. Tomo XXII. *Scriptorum rerum Italic.* col. 429.) Poſterior familia diutius perduravit honorificis muneribus perſæpe in immortali Republica perfuncta, & militari etiam gloria inſignis. Nonniſi ex hac naſci potuit Hieronymus noſter, ut temporum ratio perſuadet, ipſaque tradunt monumenta Gradonici. Merito propterea Ambroſius de Altamura, in *Bibliotheca Ordinis Præd.* ad annum 1582. eum dicit *nobili genere* natum. His adde, quod etiam ætate Hieronymi Vielmiorum familia affinitate cum Patriciis juncta erat. In Archivo enim Veneto *A.* 1. Auguſtinus Barbadicus ſe Hieronymi noſtri *conſobrinum* appellabat in Epiſtola ad eum data 24. Aprilis 1572, & in ſimili Epiſt. 27. Aprilis 1576. Alexander Maripetrus ſe ſcribebat Hieronymi *nepotem*.

(6) In memoratis Gradonici monumentis nullus alius occurrit e familia Vielmia circa tempora illa, quem Hieronymi parentem credere poſſis, niſi Joannes Baptiſta, die 28. Septemb. 1518. electus a ſecretis Conſilii Decemviralis. Hunc *virum diſertiſſimum* vocabat Marinus Becichemus publicus in Patavina Academia Rhetoricæ profeſſor, in Epiſtola ipſi inſcripta 7. Kalend. Decemb. 1523. quam Epiſtolam ſimul cum aliquibus opuſculis impreſſam habes anno ſequenti Venetiis in 4. *ſumptibus Comini Lucenſis*.

(7) Sexennium ſe Patavii inſtitutum narrat Hieronymus noſter in *Oratione Apologetica*: quod quum intelligi nequaquam poſſit de illo in Prædicatoriam familiam cooptato, ut ea demonſtrabunt, quæ ſequuntur, neceſſario ſexennium illud, aliqua ſaltem ex parte, referendum eſt ad annos, quibus adhuc in ſeculo vivebat.

(8) Rei iſtius teſtis eſt ipſe Vielmius, *de novo, & priſco Melchiſedecho*, lib. I. Excurſione 5.

Digitized by Google

Deo liberius militare peroptans, ſacro Prædicatorum Ordini nomen dedit, Græcæ Provinciæ primum adſcriptus (9). In Veronenſi Cœnobio ad Sanctæ Anaſtaſiæ religioni, literiſque navavit operam (10). Ibi præceptore Bartholomæo Spina Piſano uſum nonnulli falſo crediderunt (11). Non multo poſt, anno nimirum 1541. Sacerdotio initiatus, primumque ſolemne ſacrum celebraturus, Byzantium navigavit. Ibi a noſtris in Suburbio, cui Galatæ nomen, benigne exceptus, ſeſeque pietate ſingulari, & eruditione omnibus, præſertim Viro nobili Antonio Marcello, in Syria Venetorum negotia curanti (officium *Conſulis* appellant) & caſu Conſtantinopoli degenti, commendans, apud eumdem domi, Sacris operaturus, familiariſſime annum, eoque amplius vixit. Interrupta interim diſciplinarum ſacrarum ſtudia cupiens reſumere, Pariſios cum eodem Marcello venire meditabatur, vel in Cretam navigare, ut Græcas inibi addiſceret literas. Hæc inter conſilia ancipitem, in Cretam vocavit Nicolaus a Cruce, Græcæ Provinciæ noſtræ Prior Provincialis. Quatriduo poſt ſacram acceptam juſſionem Byzantio ſolvit, Chiumque præternavigans, Cretam tenuit, epiſtolas ſecum deferens a Marcello, & Magiſtro Fratre Luca noſtræ Byzantinæ domus Præſide datas, teſtes vitæ apud ipſos honeſtiſſime peractæ (12).

Anno

(9) Andreas Rovetta in *Bibliotheca Provinciæ Lombardiæ Ord. Præd.* Centuria IV. ad annum 1581. & in *Tabula* IV. *Chronologica* Vielmium enumerat inter Provinciæ ejuſdem Lombardiæ, & Monaſterii S. Dominici Venetiarum alumnos, nullo tamen adhibito ad id comprobandum argumento. Nos ex ea, quam Præfectus Provinciæ Græciæ in Vielmium exercuit, poteſtate paulo poſt memoranda veriſimilius conjectamur, Vielmium ipſum eidem primum Provinciæ fuiſſe adſcriptum.

(10) De ſe ipſo id narrat Hieronymus lib. II. *de D. Thomæ Aquinatis Doctrina & Scriptis*.

(11) Quum Vielmius Patavii Philoſophiæ operam dederit, vix credibile eſt eumdem poſtea Monachum factum Veronam veniſſe, ibique in ſtudia incubuiſſe, niſi inchoato ſaltem decimo octavo ætatis ſuæ anno (qui enim potuiſſet ante hanc ætatem & politiores literas, & Philoſophicas diſciplinas tractaſſe, & Religionis tyrocinium poſuiſſe?) Annos porro ætatis Vielmii decimus octavus erat annus 1537. quo anno Bartholomæus Spina Veronæ Cathedram tenere minime poterat, ſed jam antea an. ſcilicet 1536. publice cœperat Theologiam Patavii profiteri, ut ex Patavini Gymnaſii monumentis comprobat vir clariſſ. Bernardus de Rubeis num. 3. *Admonitionis præviæ*: præfixæ Tom. III. Operum S. Thomæ Aquinat. noviſſimæ editionis Venetæ apud Bertinellum. Multo autem minus poterat Vielmius Veronæ Spinam habere præceptorem ante annum 1530. (quod viri cetera accuratiſſimi Quetivius, & Echardus Tom. II. *Scriptorum Ordinis Prædicatorum*, pag. 126. viſi ſunt affirmare) quando ſcilicet ne undecimum quidem compleverat Vielmius annum ætatis ſuæ.

(12) In Archivo Veneto A. 3. extant binæ illæ literæ datæ 12. Januarii 1541. Ita enim legendum in utraque arbitramur, uti revera clare, & expedite legitur in poſteriori Epiſtola F. Lucæ, quamvis prior illa Marcelli præferre videatur diem 12. Junii 1542. obſcura ſiquidem, & inepta ſcriptio,

non

Anno 1543. Aprili menſe ineunte, Cydoniæ in Sanctì Nicolai Monaſterio, jubente eodem Nicolao a Cruce, ſtudiorum curriculum iterato ingreſſus eſt (13). Brevi tamen tempore ibidem commoratus, die 6. Decembris ejuſdem anni Patavium tranſmittitur, Theologicum ſtudium in Cœnobio Sancti Auguſtini abſoluturus (14). Mirum quantum in literis ibi profecerit, publicis in ſcholis Bartholomæum Spinam, intra domeſticos vero lares fortaſſe Sixtum Medicen, viros ſcilicet in familia noſtra clariſſimos, nactus præceptores (15). Brevi aliquot menſium ſpatio tantus evaſit, ut communi Patrum Cœnobii Sancti Auguſtini, imo & totius Provinciæ Sancti Dominici conſenſione, die 27. Septembris anni 1544. in Provincialibus Comitiis dignus habitus ſit, qui ſcholas non amplius diſcipulus adiret, ſed prælector factus moderaretur. Patrum illorum votis ad ſe delatis annuit, qui defuncti Magiſtri Generalis Ordinis vices gerebat, Franciſcus Romæus. Datis idcirco Roma die 29. Novembris ejuſdem anni literis, Hieronymus adoleſcentibus in Patavino S. Auguſtini Gymnaſio in ſtudia incumbentibus præficitur (quod officium *Magiſtri Studentium* noſtri ſolent appellare); ſed ea tamen lege, ut ſolido anno in munere illo tranſacto, altero poſtea anno ſacras ibidem Scripturas interpretaretur (16).

Primum illud exercens munus „ adeo incredibili ful-
„ gebat

qua Epiſtola iſta exarata eſt, facile poteſt propter literarum affinitatem menſem Junii loco Januarii exhibere; atque veriſimile admodum eſt Marcellum Venetum menſe Januario an. 1543. ſcribentem, ſecutum fuiſſe vulgarem apud Venetos morem novum annum inchoandi a menſe dumtaxat Martio; atque adeo annum apud Marcellum 1542. fuiſſe reipſa annum Æ. C. 1543. Porro ambæ illæ Epiſtolæ rebus narratis de Bizantino itinere fidem faciunt, planeque concordant invicem; ut etiam inde cognoſcas utramque fuiſſe eodem menſe, & anno ſcriptam.

(13) Literæ, ut vocant, patentes, quibus Vielmius a Crucio Cydoniam ad ſtudia reſumenda mittebatur, datæ eo anno 5. Aprilis, habentur in Archivo Veneto, A. 3. Ipſe quoque Vielmius, lib. II. *de D. Thom. Aquin. Doct. & Scrip.* ſe *ante annos viginti* (librum autem illum ſcribebat anno 1563. ut ſuo poſtea loco dicetur) Cydoniæ fuiſſe commoratum narrabat.

(14) Eodem loci Archivi Veneti leguntur literæ Alberti de Caſaus Ord. Præd. Generalis Magiſtri, datæ Genuæ ea die, & anno, quibus in literis illa Patavium tranſmiſſio continetur.

(15) Bartholomæi Spinæ, & Sixti Medices ſe diſcipulum fuiſſe ſcribit Hieronymus noſter, lib. II. *de D. Thom. Aquinat.* &c. atque lect. 3. de *ſex diebus conditi orbis*, & alibi. Jamvero Spina citra dubium annis 1543. & 1544. publice Theologiam Patavii profitebatur (Vid. de Rubeis citatum, annot. 11.) Non igitur Spinam audire potuit Hieronymus, niſi in publicis Patavii ſcholis. Similiter nec facile poſſumus imaginari, ubinam Vielmius Medicen præceptorem ſortitus ſit, niſi aut quum Veronæ eſſet, aut (quod nobis videtur veroſimilius) hoc tempore Patavii intra domeſticos lares Theologiam profitentem.

(16) Quæ de Vielmii in gradum Prælectoris promotione heic dicuntur, continent literæ illæ Romæi in Archivo Veneto, A. 3.

Digitized by Google

„ gebat doctrina, morumque gravitate, ac fide inſignio- „ ri, ut oculi omnium in illum converterentur: hujuſ- „ modi inſuper erat incomparabili præditus modeſtia, ac „ probitate, ut ad ejus bonitatem nihil addi poſſet (17). His moti Patres Veneti Monaſterii celeberrimi ad *SS.* Joannis, & Pauli, e re ſua eſſe judicarunt, illum e Græca Provincia traductum, ſuum in numerum aggregare, ut inter viros alios clariſſimos, quum alias ſemper, tum ea præſertim ætate florentes, Monaſterio eidem ſplendori eſſet, & ornamento. Poſteriori officio interpretandi Scripturas ſacras anno 1546. exeunte decedens, ne Patavinæ Sancti Auguſtini ſcholæ viro tanto carerent, Bacalaureus eiſdem, hoc eſt Theologiæ Moralis prælector datus eſt (18).

Per ea tempora, quum memoratus Franciſcus Romæus, non ita pridem electus Magiſter Generalis noſtri Ordinis, Tridentino Concilio intereſſet, atque Vielmium ubique, ceu eximium Theologum fama loqueretur, eumdem ad ſe accerſivit, ejus opera tanto in conſeſſu opportune uſurus. Aliquandiu Tridenti commorantem Hieronymum tædere cœpit, quod diutius a ſtudiis ſuis, & exercitationibus avocaretur. Ægre tandem, & nonniſi poſt iteratas preces dimiſſionem obtinuit, beneficiis præterea, & commendatitiis honorificis literis a Romæo ornatus (19). Tridento, ſtante adhuc Concilio, abeuntem æmuli nonnulli omnino injuria ſuſpicati ſunt, & in vulgus quoque ſparſerunt, inde pulſum, quod male de Religione, minus honorifice de Pontificia auctoritate ſentiret, & loqueretur (20).

Patavium

(17) Ita loquebatur Julius Soncinas, Provinciæ S. Dominici Venetiarum Præfectus (*Vicarium Generalem* tunc vocabant, nondum ei reſtituto titulo *Prioris Provincialis*, qui in *Capitulo* tantum Romano 1580. redditus fuit) in literis 2. Septemb. 1545. ubi etiam, quæ ſequuntur de traductione Vielmii ad Monaſterium SS. Joannis, & Pauli, narrabat, ſuaque firmabat authoritate. Aſſervantur literæ iſtæ loco citato Archivi Veneti. Inde autem magis adverſus Rovettam memoratum comprobatur, numquam Vielmium fuiſſe connumeratum inter alumnos Cœnobii S. Dominici Venetiarum, & Provinciæ Lombardiæ.

(18) Munere Bacalaurei an. 1547. functum Vielmium, perhibet Necrologium vetus etiamnum in Cœnobio SS. Joannis, & Pauli aſſervatum, quo in Necrologio deſcribi ſolebant nomina Fratrum ibidem in diem decedentium, & munia, quæ viventes obierant.

(19) Hæc de ſemetipſo narrat Vielmius, illa deſcribens, quæ ſibi contigerant in Tribunali S. Romanæ Inquiſitionis (de quibus poſtea) & modum, quo ſeſe ab accuſationibus purgaverat, Judicibus videlicet exhibendo authenticas illas Romæi literas, aliaſque non paucas amicorum, teſtantes ipſum ſponte, & enixe petita multoties dimiſſione Tridento receſſiſſe. Prolixa hæc narratio, manu ejuſdem Vielmii ſcripta, habetur in Archivo Veneto, A. 3.

(20) Præter eos, qui Vielmium hac de re apud Romanos Fidei Quæſitores accuſarunt, etiam Franciſcus Niger Baſſianenſis,

vir

Patavium reverſus anno 1548. Theologiæ Lauream in Civitatis illius Collegio perinſigni conſequutus eſt, & in Collegium ipſum cooptatus (21). Sequenti anno Theologiam e ſupremo loco in Cœnobio Sancti Auguſtini ſuſcepit tradendam, *Regentis*, ut ajunt, exercens officium (22). Tot demum intra Familiam noſtram laboribus exantlatis, in numerum Magiſtrorum Sacræ Theologiæ, Ordinem ſcilicet per ea tempora ſplendidum & honeſtiſſimum, relatus eſt in Capitulo Generali Salmanticæ celebrato anno 1551. (23).

Hactenus intra domeſticos parietes ſcholas moderatus, ſeſe publicæ etiam ſuſtinendæ luci comparaverat. Igitur ſapientiſſimo Veneti Senatus decreto 17. Kalend. Octobris ejuſdem anni 1551. juſſus eſt res Metaphyſicas ex doctrina D. Thomæ Aquinatis Patavino in Gymnaſio explicare, conſtituto illi annuo ſtipendio Florenorum ſeptuaginta (24). Adverſa valetudine affectum uno tantum anno eam tenuiſſe Cathedram tradunt Scriptores omnes, quos nobis legiſſe contigit, teſtati id etiam conſtanter haberi in monumentis Gymnaſii ejuſdem (25). Unanimi huic conſenſioni, tantiſque monumentis quis audeat refragari? Fatemur tamen ingenue nos penitus ignorare, qua demum ratione hæc poſſint conciliari cum illis, quæ Vielmius narrat de ſemetipſo, quæque aliquanto poſt memorabimus.

Collecti Venetiis anno 1553. in Provincialibus Comitiis Patres Venetæ Sancti Dominici Provinciæ, Hieronymum ſibi communibus ſuffragiis præfecerunt, attributo illi ſupremo apud ſe Magiſtratu ad biennium, juxta morem, duraturo, hoc eſt *Vicarium Generalem* dicentes. Tanta æqui-

vir e ſuperſtitione Calviniana in Tragædia inſcripta: *La libertà*, ſive: *del libero arbitrio* editionis an. 1550. in Epiſtola ad Lectores, ut invidiam crearet Cardinali Cervino Rom. Pontif. in Concil. Tridentino Legato, poſtquam dixiſſet Prælatos aliquos illius Cardinalis opera e Concilio per vim, & nefas fuiſſe pulſos, ſubdidit: „Il ſimigliante fece con un Frate Gieronimo Vielmo „Vinetiano ſolamente, perche in una Congregatione egli aveva detto, che il Concilio è ſopra il Papa „. Impoſturam hanc ſolidiſſime refellebat Vielmius authenticis monumentis annotatione præcedenti memoratis.

(21) Ita haberi in Codice 2. ipſius Collegii pag. 74. a. t. ſcheda propria manu exarata ſignificavit, nobis agentibus, interrogatus teſtis graviſſimus Jacobus Facciolatus, qui Patavina monumenta diligenter evolvit, texendæ accuratiori Gymnaſii illius hiſtoriæ publica auctoritate allaborans.

(22) Ex Necrologio citato annot. 18.

(23) Ex Actis Capituli illius §. *Approbationes*.

(24) Ex nuper laudato Facciolato.

(25) Iterum idem Facciolatus, & Antonius Riccobonus lib. I. *Comment. de Gymn. Pat.* cap. 15. Jacobus Philippus Tomaſinus in *Gymn. Pat.* lib. III. cap. 6. Angelus Portenarius *della Felicità di Padova*, lib. VII. cap. 4. Quetif, & Echard. Tom. II. *Scriptorum Ordinis Præd.* pag. 265. Papadopolus antea citatus, aliique.

æquitate, tanta moderatione, tantaque prudentia munere illo functus eſt, ut anno 1555. minime potuerit Magiſtratu abire, ſed unanimi conſpiratione ſuffragatorum juſſus fuerit eumdem gerere ad aliud biennium (26).

Dum hæc adminiſtraret, abſcedente e Theologica Patavini Gymnaſii Cathedra Sixto Medice, ad eam Senatus Veneti conſulto vocatus eſt Vielmius 12. Kalendas Junias anni 1554 (27). Itaque Theologiam pridie Idus Novembris eodem anno (28) publice interpretari aggreſſus, quamvis diffiſſa in pectore vena, aliiſque morbis identidem conflictaretur (29), & curis item diſtineretur nuper memorati Magiſtratus, ſuo tamen haud defuit officio; ſed magna cum nominis celebritate exercitationes habuit ad menſem uſque Martium anni 1560. hoc eſt, ferme ſexennio.

Jam ſi ſexennio iſti addas annum, quo Metaphyſicam fuerat profeſſus, ſeptennium tantum habebis, & ne integrum quidem. Qui ergo in magna omnium Patavini Gymnaſii ordinum frequentia dicere poſtea Vielmius ipſe potuiſſet, ſe antea Gymnaſii ejuſdem Cathedras fere *decennium* obtinuiſſe (30)? Atque hæc ſunt, quæ paulo ante dicebam non poſſe a me conciliari cum eo abſceſſu a Cathedra Metaphyſicæ poſt unum dumtaxat annum. Quam enim iſthæc conciliandi rationem inivit ſagaciſſimus Echardus, probare neſcio; & ne ipſe quidem probaſſet Echardus, ſi tam vario, & longo in opere ad illa potuiſſet animadvertere, quæ ſcripſerat alibi (31). Quaſi ſuſpicor, aut lapſum memoriæ

B paſſum

(26) Ex citato Necrologio, & prima editione *Orationis Apologeticæ*.

(27) Ex Faceiolato, qui tunc conſtitutum Vielmio ſcribit ſtipendium Florenorum 60. auctumque ad 80. ineunte an. 1560.

(28) Eo anno 1554. Theologiam Patavii publice fuiſſe primum auſpicatum Vielmium evincit præter teſtimonium Scriptorum, quos annotatione 25. citavimus, etiam prior, editio anno ſequenti facta *Orationis Apologeticæ* illa occaſione recitatæ. Igitur citra dubium mendoſæ ſunt aliæ duæ poſteriores ejuſdem Orationis editiones, altera quidem Patavina, quæ talem Orationem habitam dicit an. 1564. altera Veneta apud Junias, quæ annum recitatæ illius Orationis fuiſſe ait 1544. Profecto hoc poſteriori anno 1544. fere uſque ad finem adhuc inter Studentes Patavii numerabatur Vielmius, ut dictum antea fuit; anno vero 1564. jampridem Cathedram illam Theologicam reliquerat, ut mox dicetur. Inſuper ipſemet Vielmius recitatam a ſe *Orationem* illam ajebat, quum *in Patavino Gymnaſio Theologiam publice interpretari decem fere ab hinc annis inciperem*; ita enim loquebatur lib. I. *de D. Thom. Aquin. Doctrina* &c.; quumque librum hunc ſcriberet circa finem an. 1563. plane ſequitur recitatam illam non fuiſſe Orationem, atque adeo neque primum Theologiæ publicum Profeſſorem inauguratum Vielmium an. 1564. aut 1544. ſed verius an. 1554.

(29) Ex Archivo Veneto, A. 3.

(30) In Oratione de *Opt. Episc. munere*.

(31) Mendoſa illa *Orationis Apologetica*

paſſum Vielmium, quum *decennium* ſcripſit; aut ſubeſſe erratum typographi, ſubſtituentis *decennium* loco *ſeptennii*; aut Thomam Valdinam, quem anno 1552. Vielmio in Cathedra Metaphyſicæ Patavina ſuffectum Hiſtorici narrant, Vielmii ejuſdem nomine Cathedram illam biennio tenuiſſe tamquam ſubſtitutum. Nihil tamen audeo definite pronunciare. Rem hanc fortaſſe expediet felicius vir ille ſummus, qui diu expetitam Gymnaſii Patavini Hiſtoriam accuratiorem prope diem vulgabit. Nos interim revertamur ad noſtra.

Pontificiam Romanam ſedem vix dum conſcenderat Pius IV. quum de reſtituendis collapſis Romæ ſtudiis Theologicis ſollicitus, audita Vielmii fama, literis honorificentiſſimis eumdem ad ſe vocavit (32). Patavio abeundi facultatem Idibus Martiis, anni 1560. obtinuit, ſub ea honoris plena conditione, ne cui interim Theologica Patavina Cathedra ad Kalend. uſque Novembris attribueretur, ad eamque redire Vielmius poſſet, ſi forte Romæ locum non nanciſceretur ſuo vivendi ingenio (33). Tanti ſcilicet Vielmium faciebat Senatus Venetus omnium graviſſimus.

Romam appulſus adverſam cœpit pati fortunam, a malevolis violatæ Religionis coram Fidei Quæſitoribus accuſatus. Dies ei dicta eſt decima octava Auguſti. Sibi nullius culpæ conſcius cauſſam dixit intrepidus (quid enim vero a Judicibus incorruptiſſimis ſibi timeret ubique ſecura innocentia?) & die vigeſima ſecunda peroravit. Vi tanta ratio-

ea apud Juntas editione fortaſſe deceptus, oculatiſſimus alioquin, Echardus, Tomo II. *Scriptorum Ord. Præd.* pag. 265. affirmavit, Vielmium primum an. 1544. ad publicam Theologiæ Cathedram fuiſſe Patavii promotum, eamque tenuiſſe annos tres; ſubinde an. 1551. Metaphyſicæ Cathedram conſequutum uno anno in ea ſediſſe; tandem an. 1554. ad Theologicam revocatum, ſexennio eam fuiſſe moderatum: unde certe integrum haberetur decennium. Verumtamen priorem illam primum initæ an. 1544. Theologicæ Cathedræ epocham aperta falſitate laborare ſatis evicimus annot. 28. & ipſemet confeſſus fuiſſet Echardus, ſi attendere potuiſſet ad ea, quæ ſcripſerat pag. 179. dum loqueretur de Sixto Medice, quem & recte quidem dixerat an. 1545. non Vielmio, ſed Bartholomæo Spinæ ſuffectum, Theologicam Patavinam Cathedram iniviſſe, & continenter tenuiſſe ad annum uſque 1554. Non erat igitur, judice ipſo Echardo, ante annum 1554. locus Vielmio vacuus in Theologico ſuggeſtu Patavino.

(32) Pontificiæ ea de re literæ authenticæ habentur in Archivo Veneto, quarum hic primo exemplar vulgamus „ Dilecto „ Filio Hieronymo Vielmio Ord. Præd. & „ Theologiæ Profeſſori. Pius Papa IV. Dilecte Fili ſalutem, & apoſtolicam bene- „ dictionem. Cum pietas, & doctrina tua „ in rebus Omnipotentis Dei, & Fidei ca- „ tholicæ exaltationem concernentibus ex „ gravium, & fide dignorum virorum te- „ ſtimonio nobis cognita ſit, & ideo tua „ opera in his uti decreverimus; te horta- „ mur, ut quamprimum has noſtras lite- „ ras receperis, cum tuo alioquin commo- „ do, te itineri accingas, atque ad nos cum „ tua ſuppellectili venias. Dat. Romæ ſub „ an. Piſcat. die 1. Febr. an. 1560. Pontific. „ noſtri an. 1.

„ Franciſcus Aragoniæ.

(33) Ex Facciolato in ſcheda memorata.

Digitized by Google

rationum, atque teſtimoniorum objecta crimina diluit, ut Cardinales Eminentiſſimi Religionis negotiis præpoſiti unanimi ſuffragio die quintadecima Octobris non tantum dixerint innocentem, ſed ejus inſuper commendarint Religionem integram atque doctrinam ſingularem. Tandem die decimanona Menſis ejuſdem Reverendiſſimus P. Thomas Scotus *Romanæ Inquiſitionis Commiſſarius Generalis*, lata pro tribunali ſententia, rei univerſæ ſupremam impoſuit manum innocentem juxta formulas juris pronunciando (34).

Ab his expeditus, juſſus a Summo Pontifice eſt Theologiam in Romano Lyceo publice profiteri (35). Ibi inter ceteros auditorem habuit Auguſtinum Valerium, poſtea Epiſcopum Veronenſem & S. R. E. Cardinalem, atque item Marcum-Antonium Marſilium Columnam Bononienſem (36), poſtea Archiepiſcopum Salernitanum, qui duo viri evaſerunt erudittiſſimi. Privatim etiam diſcipulos nonnullos ſuſcepit rebus theologicis inſtituendos. Hos inter locum principem tenuit Cardinalis Sanctiſſimus Carolus Borromæus, non dedignatus quotidie a Vielmio dictata calamo notare (37): quod quum merito in Cardinali ampliſſimo graviſſimis Pontificatus curis, quas in eum magnam

 partem

(34) Proprio chirographo hæc omnia deſcripſit Vielmius in ea prolixa narratione, quam innuebamus annot. 19. & in qua ſumma accuſationum capita ſeptem enumeravit, & adhibitas a ſe ſigillatim reſponſiones, aut purgationes. Habetur quoque eodem loci Archivi Veneti. A. 3. membranaceum authenticum ſigillo munitum exemplar ſententiæ ea in cauſſa a memorato *P. Commiſſario Generali* latæ, ſcriptum *per Claudium de Valle, Notarium Sanctæ Romanæ Univerſalis Inquiſitionis*.

(35) Rem hanc teſtatur ipſe Vielmius in *Elucubratione de Epiſcopis, quos Titulares appellant*, parte 3. cui & ſubſcribunt Franciſcus Sanſovinus *Venezia deſcritta*, lib. XIII. pag. 281. edit. Veneiæ. an. 1581. Auguſtinus Superbius *Teſoro glorioſo d' Eroi*, lib. I. pag. 232. edit. an. 1628. Paulus Freher in *Theatro Virorum eruditione clarorum*, parte I. ſect. 3. ad an. 1582. &c.

(36) Se Hieronymi noſtri diſcipulum fuiſſe uterque teſtatur: Valerius quidem prælectione ſecunda alias citata, & Marcus-Antonius, loco ſimiliter citato de *Hydragiologia*. ſect. 1. cap. 1. num. 14. Conſule etiam Ughellum, Tomo VII. *Italia Sacra*, in *Archiepiſcopis Salernitanis*, num. 50.

(37) Tametſi nobis non contigerit ullum invenire ſcriptorem Synchronum, qui rem iſtam Vielmio valde honorificam ſatis aperte narraverit; invenimus tamen eum, qui an. 1607. hoc eſt non nimium poſt Vielmii mortem, & accurate quidem ſcribebat, Michaelem Pium expreſſam rei ejuſdem mentionem facientem, *degl' Uomini illuſtri di San Domenico*, lib. IV. parte 2. ad annum 1582. & iterum: *Della progenie di San Domenico in Italia*, lib. II. cap. 51. quem etiam ſequuti ſunt Hieronymus Ghilinius, *Teatro d' Uomini letterati*, Volum. I. pag. 129. edit. Venet. 1647. Pius Thomas Milante in *Auctario* Bibliothecæ Sanctæ Sixti Senenſis, & Rovetta, & Altamura, & Echardus &c. Cæterum omnem, quæ ex ſilentio coætaneorum Scriptorum ſuboriri fortaſſe poſſet, dubitationem penitus ſuſtulit ipſe Vielmius citata parte 3. *de Epiſcopis, quos Titulares appellant* (quod quidem teſtimonium miramur a nemine fuiſſe obſervatum) ubi ita ſcribit: „ Profitebar ego Romæ Theologiam publice de Summi Pon„ tificis mandato ..... atque eram ſimul „ a lectionibus Illuſtriſſimi, & ampliſſimi „ Car-

partem avunculus Pius rejecerat, diſtento omnes admirarentur, communem conſequenter conciliabat Hieronymo exiſtimationem, ſummam auctoritatem. Hinc illa nata benevolentia ſingularis, qua Cardinalis ornatiſſimus Hieronymum amantiſſime complectebatur; atque mutua viciſſim obſervantia, qua Cardinalem Hieronymus colebat, inque ejus laudes excurrebat frequentiſſime (38). Hinc etiam veriſimile admodum fit a Cardinali eodem adhibitum Vielmium ad *Noctes Vaticanas*, hoc eſt ad literarias exercitationes, quas nocte in Vaticano Palatio habere ſolebat cum viris eruditiſſimis (39).

Multis igitur nominibus Pontifici Summo acceptus Hieronymus, & favore utens tanti Cardinalis, ſextodecimo Kalend. Aprilis, anni 1563. renunciatus eſt Epiſcopus Argolicenſis in Peloponneſo ſub Metropoli Corinthiaca, datuſque Cardinalibus Piſanis, Franciſco Epiſcopo Patavino, & Aloyſio Eccleſiæ ejuſdem *electo*, ut vocant, ſuffraganeus (jam tum Infidelium jugo Argolicenſis Eccleſia opprimebatur) hac lege adjecta, ut ex proventibus Epiſcopatus Patavini perciperet *penſionem annuam trecentorum Ducatorum auri de Camera*. Hac dignitate auctus, paucis poſt diebus, hoc eſt ſextadecima ejuſdem Aprilis die Tridentum mittitur in magna illa Epiſcoporum Synodo conſeſſurus (40). Interfuit poſtremis aliquot Synodi ipſius Seſſionibus, ſed aliquando tamen etiam Patavium excurrebat commiſſam ſibi Eccleſiam Pro-Pontifex inviſens (41).

Soluta,

„ Cardinalis Borromæi „. Lege Joannem Petrum Giuſſanum in Vita S. Caroli Italice ſcripta lib. I. cap. 8. ubi tamen eum emendare opus erit (ſi quidem chronologicum ordinem ſectari voluiſſe credendus ſit) quum ſtudium, quo Cardinalis ſanctiſſimus ſeſe Theologiæ ſub diſciplina privata Magiſtrorum dedit, refert ad annum 1564. quo anno Vielmius jamdudum Roma abierat, ut dicetur inferius. Lege etiam Iulium Nigronium S. J. in Panegyri Italica in laudem S. Caroli Borromæi, recitata an. 1602. Extat in libro Aurelii Grattarolæ, edito Mediolani 1614. hoc titulo prænotato: *Succeſſi meravigliosi della venerazione di S. Carlo*.

(38) Vide Faſeolum in Epiſt. præmiſſa libris Vielmii de *D. Thom. Aquin. Doct. &c.*

(39) Lege Alphonſum Ciacconium in *Vitis Pontif. &c.* Tom. III. col. 891. in edit. Rom. 1677. & Auguſtinum Valerium in vita S. Caroli pag. 6. & 7. edit. Veronenſis 1602.

(40) Leguntur hæc omnia in binis literis Pontificiis authenticis in Archivo Veneto. Harum exemplaria exhibet doctiſſimus P. Antoninus Bremond, Tom. V. *Bullarii Ord. Præd.* pag. 105. & ſeq. Vocatur autem in literis illis Eccleſia Argolicenſis Epiſcopalis tantum, unde argumentum ſumi poteſt invictum ad refellendos Auctores illos, qui apud Clariſſ. Michaelem Le Quien, Tomo III. *Orientis Chriſtiani*, pag. 898. affirmant Argolicenſem Eccleſiam ab anno 1185. in Metropolim erectam, etiamnum in gradu eodem perdurare.

(41) Se Tridentino Concilio, quum Epiſcopus Argolicenſis eſſet aliquando interfuiſſe, memorat Vielmius lib. I. de *D. Thoma Aquin. Doctrina & Scriptis*, ſed inde, tamen eo adhuc ſtante, ſe receſſiſſe aliquando, & Patavii adfuiſſe, innuit in Præfatione *Elucubrationis de Epiſcopis, quos Titulares appellant*.

Soluta, exeunte eodem anno, Synodo Tridentina, Patavii ſtetit Hieronymus deinceps. Primum, qua pollebat, auctoritate Statuta Collegii Patavini ſacræ Theologiæ Doctorum meliorem redegit in formam, opera uſus virorum ſapientiſſimorum (42). Tum cætera, quæ muneris ſui erant, impigre exercens, meruit ſequenti anno a Cardinali Aloyſio honeſtum conſequi Sacerdotium, *Rector Commendatarius* datus Eccleſiæ S. Jacobi Battaleæ in Diæceſi Patavina (43). Quamquam autem, tantis diſtractus curis, nihil ferme otii haberet, videbatur nihilominus ſibi non ſatis conceſſis divinitus ingenii dotibus, aut commiſſo muneri reſpondere, niſi, qua ipſe abundabat, eruditione, ceteris docendo prodeſſet. Auſpicato accidit, ut per ea tempora Adriano noſtro Valentico, publico Patavii ſacrarum Scripturarum Interprete, Venetias ad officium Quæſitoris Fidei translato, Senatus Auguſtus Hieronymo poteſtatem fecerit vacuam illam Cathedram ineundi. Nihil ratus Epiſcopali dignitati indecorum eſſe munus publice docendi, religioni im; habens illud recuſare, præmiſſa hoc ipſo de argumento Oratione, tertio Idus Novembris, anni 1565. cœpit Scripturas ſacras ex eo ſuggeſtu interpretari (44). Solido quinquennio hanc explicuit ſcholam, ab Epiſtola Pauli ad Romanos incipiens (45); tum progreſſus ad Epiſtolam ejuſdem ad Hebræos (46); & demum exponens caput primum Geneſeos (47).

Porro tametſi Prælectionum iſtarum aliquæ, quas Vielmius e Cathedra Patavina recitaverat, aut interierint, aut latuerint ineditæ, quum tamen aliæ typis jampridem vulgatæ fuerint, nemo non videt inexcuſabili pene hallucinatione aberraſſe Tomaſinum, quando ſcripſit

 incer-

(42) Neque enim hæc Statutorum reformatio auctore Vielmio facta referri poteſt ad annum MDLXXIII. ut legitur (fortaſſe mendo Typographi unam X. ſuperaddentis) apud Tomaſinum in *Gymnaſ. Patav.* lib. I. cap. 56. eumque ſequutos Querivium, & Echardum, Tomo II. pag. 227. ubi de *F. Deſiderio a Lignamine* loquuntur. Anno ſiquidem 1573. jampridem Patavio abſceſſerat Vielmius, quod & omnes Hiſtorici illi affirmant, & poſtea a nobis demonſtrabitur.

(43) In Archivo Veneto Diploma habetur ea de re ab Aloyſio datum, nec non Inſtrumentum authenticum inita ſequenti anno a Vielmio poſſeſſionis illius Sacerdotii.

(44) Omnia hæc narrabat Vielmius in *Oratione de optimo Epiſcopi munere* tunc recitata. Tertio idus Aprilis ejus anni ad id muneris electum Vielmium, ſcribit in Scheda ſua multoties citata Facciolatus.

(45) Circa finem Orationis ejuſdem de *optimo Epiſcopi munere*.

(46) Ex Lect. 20. 23. & 26. de *ſex diebus conditi orbis*; & iterum ex lib. 1. de *novo, & priſco Melchiſedecho*, Excurſione 1.

(47) Caput primum Geneſeos interpretabatur deſinente an. 1569. & anno 1570. ex Lect. 5. & 6. de *ſex diebus conditi orbis*.

incertum eſſe, an Vielmius Epiſcopali dignitate ornatus publice Scripturas ſacras re ipſa interpretatus ſit (48). Errantem Tomaſinum obviis ulnis excepit Papadopolus, gravius præterea de ſuo erratum addens (49); ut etiam hinc Eruditi omnes intelligere poſſint, quam ſcite, graviterque, ut alias ſemper, Vir in Republica literaria exiſtimatione magnus, re maximus, ſapientia non minus, quam dignitate Eminentiſſimus Angelus Maria Cardinalis Quirinus, Eccleſiæ univerſæ, & præſertim Brixianæ noſtræ decus, & ornamentum immortale pronunciaverit, Papadopolum in ea texenda Gymnaſii Patavini Hiſtoria, *levem admodum curam ſuſcepiſſe hiſtoricas leges ſectandi* (50).

Demortuo anno 1570. Aloyſio Cardinali Piſano Patavinæ Eccleſiæ *electo* Epiſcopo, qui Vielmio vices ſuas in ejuſdem Eccleſiæ regimine demandaverat, ſuperſtes Cardinalis Franciſcus datis Roma 17. Junii epiſtolis Hieronymo eamdem commiſit provinciam (51). Verumtamen vita functo non longe poſtea etiam Franciſco, & vacua facta ſede Epiſcopali Æmonienſi in Iſtria (52), Pontifex Sanctiſſimus Pius V. cui jam tum Cardinali Romæ coram perſpecta fuerat Hieronymi pietas, & eruditio, *conſideratis grandium virtutum meritis, quibus ejus perſonam illarum largitor Altiſſimus inſigniverat* (53), eumdem ad Eccleſiam ipſam

(48) In *Gymn. Pat.* lib. III. cap. 5.

(49) In *Hiſtoria Gymn. Pat.* Tom. I. pag. 315. num. 81.
Quum Hiſtorici iſti ſcribant Vielmium an. 1565. ad interpretandas Patavii Scripturas Sacras fuiſſe electum, incertum ſubinde, an revera tale munus exercuerit, affirmant (imo re ipſa non exercuiſſe Papadopolus aperte tradit) propter id vel maxime, quod Concilio Tridentino intereſſet, aut Romæ eo tempore commoraretur. Scilicet non animadverterunt, Synodum Tridentinam fuiſſe abſolutam exeunte an. 1563. atque Vielmium eo ipſo anno Roma Tridentum miſſum, ſoluto Concilio, non Romam rediiſſe, ſed ſubſtitiſſe Patavii: quod tamen vel ipſe ibidem narraverat Papadopolus. Neque vero quemquam movere debet argumentum aliud, quo præterea Papadopolus abutitur, nuſquam videlicet inveniri perſolutum Vielmio publicum ſtipendium pro exercitationibus illius ſcholæ. Ut enim hoc verum ſit (de quo fortaſſe litem poſſemus Papadopolo intendere; quodve etiam aliis multis de cauſſis, citra excogitatam ab Auctore iſto, contingere potuit) argumentum tamen erit ſemper inficiale, atque adeo infirmum adverſus graviſſimum Vielmii ipſius teſtimonium. Qua fronte Vielmius, tunc facillime mendacii arguendus, ſcripſiſſet, atque etiam typis vulgaſſet, ſe Commentarios illos in Scripturam Sacram e ſuggeſtu Patavino recitaſſe, ſi deſignatus tantum fuiſſet Scripturarum interpres, aſt numquam in ſuggeſtum illum aſcendiſſet? Conſule loca citata, annot. 46. & 47.

(50) In Epiſt. ad SS. Pont. Benedictum XIV. data Brixiæ 6. Auguſti 1747. pag. 58. quæ Epiſtola ultima eſt in *Decade ſub præſudante Franciſci Barbari epiſtolarum collectione.*

(51) Habetur Epiſtola iſta in Archivo Veneto, A. 1.

(52) Perperam omnino Jacobus Le Long, Tom. II. *Bibliotheca Sacra*, pag. 1003. Edit. Pariſ. 1723. & Auguſt. Calmet, Tom. I. *Dictionarii Hiſtorici Critici*, pag. 33. ſecundæ Edit. Venetæ, Vielmium ſcribunt Æmonienſem in *Dalmatia* Epiſcopum.

(53) Ita loquebatur Pontifex in Diplomate

Digitized by Google

ipſam traduxit. Æmoniam venit Vielmius anno eodem, ibique ad octo ferme annos Epiſcopus ſedit vigilantiſſimus juxta, ac liberalis. A cultu domus Dei exorſus, Cathedralem Eccleſiam munificentius ornavit, eamque cum primis partem, ad quam Chorus convenit; & illam item, in qua Divorum Æmoniæ Protectorum quieſcunt oſſa (*Confeſſionem* vocant); & Aram demum maximam, quam a fundamentis ſe curante erectam anno 1572. ritu ſolemni ſacravit (54). Crebris ſubinde, gravibuſque ægritudinibus conflictatus, Eccleſiæ adminiſtrandæ impar, Coadjutorem anno 1578. ſibi adſcivit, deſignatum in ſede Epiſcopali ſucceſſorem, Alexandrum Avogarum Tarviſinum, virum cum primis probum, & peritiſſimum rerum Eccleſiaſticarum (55).

Translatis igitur in alium gravioribus Epiſcopatus curis, Venetias repetens, ad Cœnobium SS. Joannis, & Pauli ſeſe recepit, reliquum vitæ tempus inter Fratres ſuos victurus. In Monaſterio illo religioſiſſimo, in Bibliotheca inſtructiſſima, quam ſibi paraverat, piis operibus, literiſque vacantem, Æmoniam ad regimen Eccleſiæ ſuæ revocavit die 15. Auguſti, anni 1581. immatura mors Coadjutoris Avogari. Fatiſcente tamen ſub initium anni ſequentis aſſiduis morbis ſennio (annum enim agebat ætatis ſuæ ſexageſimum tertium) Venetias redire coactus (56), ibidem acu-

plomate ea de cauſſa dato 14. Kal. Auguſti 1570. quod Diploma authenticum aſſervatur in Archivo Veneto, ſimul cum aliis ſeptem ſimiliter authenticis eadem die, & anno ſcriptis, atque ad rem eamdem pertinentibus, & altero Diplomate ſimili dato 13. Auguſti. Ex quibus omnibus manifeſte convincitur erroris Auguſtinus Oldoinus jam inde ab initio citatus, qui Vielmium ſcripſit a Julio III. Epiſcopatu Æmonienſi donatum; & Seraphinus Razzius (apud Michaelem Pium antea laudatum) duos diſtinguens Hieronymos, alterum Tielmum Epiſcopum Argolicenſem a Paulo IV. creatum, alterum Vielmium Æmoniæ a S. Pio V. Epiſcopum datum.

(54) Ex monumentis Æmonienſibus.

(55) In Archivo Veneto, A. 3. duo habentur ſcripta, exarata an. 1580. quæ rebus iſtis omnibus fidem faciunt. Primum eſt autographum Vielmii exhibitum Sereniſſ. Duci, & Auguſto Senatui Veneto occaſione cujuſdam litis in Diœceſi Æmonienſi exortæ. In altero Auguſtinus Valerius Epiſcop. Veron. iiſdem Magiſtratibus ampliſſimis narrabat acta Viſitationis Apoſtolicæ juſſu Gregorii XIII. a ſe obitæ in Epiſcopatu præſertim Æmonienſi. In priore ſcripto ita Viros illos Principes alloquebatur Vielmius „ Io veramente per le mie molte, e gravi in„ diſpoſizioni non poſſo far più le fatiche... „ Io adunque, qual già diec' anni ſon Ve„ ſcovo di detta Chieſa... e mentre hò fat„ to la reſidenza otto anni quaſi continui „ ec. In altero Scripto ajebat Valerius „ In Città Nuova è Veſcovo Monſign. Giro„ lamo Vielmio dell'Ordine di S. Domeni„ co, uomo di molta deſtrezza, e di mol„ ta dottrina, e amato mirabilmente da „ quei popoli, avendo dimoſtrato molti „ ſegni di liberalità criſtiana. Ora ch'è fat„ to alquanto infermo di corpo, abita in „ Venezia, avendo fatto Coadjutore Mon„ ſignor Aleſſandro Avogaro Treviſano, „ Prelato di buoniſſima intenzione, e di „ molta cognizione delle coſe Eccleſiaſti„ che.

(56) Ex monumentis Æmonienſib.

ta febri e vivis raptus eſt ipſa die Martii ſeptima (57) dicata ſolemnibus D. Thomæ Aquinatis, cujus quoad vixit, cultor fuerat, & fideliſſimus diſcipulus, atque laudator eloquentiſſimus. Curato funere, ſepultus eſt in SS. Joannis & Pauli ante Aram maximam, inſculpto in ſepulchrali marmore epitaphio, quod adhuc legitur

HIC JACET

REVERENDISS. EPISCOPUS ÆMONIÆ

MAGISTER FR. HIERONYMUS VIELMUS
VENETUS

ORDINIS PRÆDICATORUM

QUI IN OMNI SCIENTIARUM GENERE

EXCELLUIT

Obiit A. D. MDLXXXII. die ſeptima Martii
ÆTATIS SUÆ AN. LXIII. (58).

Moriens Eccleſiæ Æmonienſi ſponſæ ſuæ perpetuum amoris monumentum, ſupellectilem pretioſam, & vaſa argentea legavit, nec non Epiſcopale pedum, quibus omnibus etiamnum ſucceſſores Epiſcopi ad ſacra facienda uti ſolent (59). Patrium quoque Monaſterium SS. Joannis & Pauli refertiſſima Bibliotheca, argentea pelvi, aliiſque muneribus donavit (60). Ferunt nonnulli moriente Hieronymo defeciſſe penitus Venetiis totam gentem Vielmiam (61). At ſuperiore ſeculo deſinente vixiſſe adhuc virum

(57) Acuta febri ex hac vita ſublatum Vielmium, perhibet Necrologium antehac citatum, diem fatalem fuiſſe narrans ſeptimam Martii; quumque in hac die, & menſe notandis monumenta omnia indubia, Auctoreique conveniant, idcirco memoriæ, aut certe calami lapſu aberraſſe credendus eſt Paulus Dieius, Antonii Saraceni, qui Vielmio in Epiſcopatu Æmonienſi proxime ſucceſſit, Vicarius Generalis, quando in libro quodam Æmonienſis Tabularii ſcriptum reliquit, diem Vielmii emortualem fuiſſe ſeptimam Februarii.

(58) Corrigendi jampridem citati Jacobillus, atque Criſpoltus, dum annum Vielmii fatalem dicunt an. 1583. Jamvero ſi ex hoc anno fatali 1582. demas annos vitæ ſexaginta tres, invenies natum Vielmium an. 1519. ut diximus a principio.

(59) Ex monument. Æmonienſib.

(60) Ex iiſdem monumentis. Argentea pelvis in Sacrario SS. Joannis & Pauli adhuc aſſervatur, inſignibus Familiæ Vielmiæ ornata, cum hac Epigraphe: *Ex dono Reverendiſſ. Epiſcopi Hieronymi Vielmi &c.*

(61) Id perhibent monumenta multoties memorata apud Nob. Petrum Gradonicum.

virum quemdam ex hac Vielmiorum familia ortum alii teſtati ſunt (62).

Amicitiis ita uſus eſt Hieronymus, quum viveret, hominum eruditorum, ut cum ipſis literaria haberet commercia, & inter ſe invicem de propriis lucubrationibus communicarent. Auguſtinum imprimis Valerium Epiſcopum Veronenſem, poſtea S. R. E. Cardinalem (63), Aloyſium Juſtinianum Aquilejenſem Patriarcham (64), Bartholomæum Walverdinum (65), Melchiorem Guilandinum (66), Joannem Faſeolum (67), Franciſcum Vargam (68), Julium Cararium Sirenium Monachum Hieronymianum, nobilem civem noſtrum hoc in numero habuit (69).

Philoſophicas diſciplinas coluit impenſe; & licet, genio indulgens illius ætatis ſoleret Peripateticorum placitis deferre, minime tamen religioni ducebat ab iis identidem diſſentire; eoſque etiam arguebat, qui nimium arcte Peripateticis dogmatis hærerent (70).

Ab adoleſcentia non multum alieno teſtimonio fidens, genuina opera a ſpuriis, & ſuppoſititiis ſecreturus, vetuſtos evolvere codices aſſuevit (71). Quamquam autem juvenili quadam præcipitantia raptus aliquando fuerit, ejus tamen judicium revereri viri etiam ætate noſtra graviſſimi dedignati minime ſunt; ut vel errantem ſequuti ſignificaverint ſe permagni ipſius adhuc adoleſcentis facere auctoritatem (72).

He-

(62) Laudatus jampridem Epiſcopus Parentinus, Æmonienſia monumenta nobis ſuppeditans, ſimul etiam admonuit, ad finem vergente ſeculo elapſo, Sacerdotem quemdam, Parochum Eccleſiæ S. Auguſtini Venetiis, nomine Antonium Egeninium, plura ſummo labore collegiſſe, atque ſcripſiſſe ad res, familiaſque Venetas pertinentia, atque in libro, cui titulum fecit „ Delli Gentiluomini del ſecond' ordine „ inter cetera de gente Vielmia id ſcriptum reliquiſſe „ Trovaſi al preſente Meſſer .... „ ſcrivan in fontico della farina. Vive „ d'entrada, e di officio. Di queſti fu Meſ- „ ſer Zan Battiſta Segretario del Conſeglio „ di Dieci &c. Ubinam Presbyteri iſtius opus manuſcriptum aſſervetur nobis minime ſignificavit Epiſcopus ille eruditiſſimus.

(63) Lege Epiſt. nuncupatoriam ante Orationem de *optime Epiſcopi munere*, & Valerii Prælectionem ſecundam antea memoratam.

(64) Ex nuncupatoria, præfixa lectionibus *de ſex diebus conditi orbis*.

(65) Lib. 1. *de novo & priſco Melchiſedecho*, Excurſione 3.

(66) Lect. 25. de *ſex diebus* &c.

(67) Vide Epiſtolam Faſeoli, præmiſſam libris Vielmii *de D. Thoma Aquinatis Doctrina, & Scriptis*.

(68) Se talem gloriabatur Vargas in *Reſponſo de Epiſcoporum juriſdictione, & Pontif. Maximi auctoritate*, Axiomat. 12.

(69) Lect. 17. *de ſex diebus* &c. ejus mutuæ cum Sirenio amicitiæ meminit Vielmius, cujus etiam teſtes ſunt nonnullæ Epiſtolæ de literariis lucubrationibus a Sirenio eodem ad Vielmium ſcriptæ, in Archivo Veneto, A. 1.

(70) Conſule lectionem 15. *de ſex diebus* &c.

(71) De ſemetipſo id teſtatur, lib. II. *de D. Thom. Aquinat.* &c.

(72) Moti teſtimonii Vielmii Com-

Hebraicis, Græciſque literis adoleſcens animum adjecit, non tamen altius in earum abdita penetravit. Et vero, quod attinet ad Hebraicas, ipſemet confeſſus ingenue fuit ſe illas *juvenem nonniſi a limine ſalutaſſe*, *& primis*, *ut ajunt labiis*, *deguſtaſſe* (73): Atque propterea Linguæ ſanctæ peritiores conſulere ſolebat, quando ei erat de Hebraici alicujus obſcurioris vocabuli recta ſignificatione diſputandum (74). Græcarum ſimiliter literarum peritiam eximiam non ſatis in ſuis lucubrationibus, quas habemus, prodidit; aliorum uſus eſt interpretationibus, quoties Græcorum Auctorum teſtimoniis uti volebat (75); neque demum tamdiu in Creta ſubſtitit (quo ſe ad literas Græcas addiſcendas conferre optabat, ut diximus) quoad poſſet pleniorem earumdem notitiam haurire.

Prædicatione Divini Verbi populum non ſemel docuit pro concione (76): a quo nihilominus munere ceſſare fortaſſe crebris morbis procedente ætate coactus fuit (77). Gratia plurimum concionando valuiſſe crediderim, quum tanta polleret eloquentia, quantam ejus opera oſtentant, quantaque neceſſaria ipſi erat, ut delineato ab Auguſtino Valerio operi eximio de Eccleſiaſtica Rethorica magnam afferret utilitatem.

Amæniores denique Muſas amavit aliquando, vena uſus non ignobili, ut conjici poteſt ex Diſticho, quod in tumulo demortui præceptoris amantiſſimi Sixti Medices inſcripſit:

Marmore in exiguo ſat erit tua nomina tantum
Scribere, *Sixte Pater* : *cetera quis referat?* (78).

Magna uſque adeo erat hominum de Vielmio opinio,

ut

mentarium in Matthæum D. Thomæ abjudicarunt, & Petro Scaligero attribuerunt, Bellarminus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, pag. 445. edit. Venetæ. 1728. Vincentius Flaccius *de Scriptoribus Pſeudonymis*, pag. 589. num. 5. Michael a S. Joſeph in *Bibliographia Critica*, volumine, ſive parte IV. pag. 400. Marchio Scipio Maffejus *Verona Illuſtrata*, parte II. pag. 45. Antonius Poſſevinus in *Apparatu Sacro*, de S. Thoma loquens, Caſimirus Oudin, Tom. III. *Comment. de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ad ſæculum XIII. diſſertatione, *de Scriptis S. Thomæ*, cap. 8. aliique; tametſi duo iſti critici, quos poſtremo loco nominavi, fortaſſe immemores eorum, quæ ibi dixerant, alibi *Commentarium* eumdem alteri adſcripſerint Auctori. Vid. annot. 7. ad lib. II. de *D. Thomæ Aquinatis Doctrina*, *& Scriptis*.

(71) Lect. 2. *de ſex diebus conditi orbis*.

(74) Lib. I. *de novo*, *& priſco Melchiſedeco*, Excurſione 3.

(75) Vid. lib. II. de *D. Thoma Aquinat. Doctrina* &c.

(76) Anno 1547. Quadrageſimæ tempore Juſtinopoli conciones habere debebat; & an. 1550. concionem recitavit *de Notis Eccleſiæ*. Ex Archivo Venero, A. 3.

(77) Hoc ipſe teſtatur circa finem Orat. *de optimo Epiſcopi munere*.

(78) Vide Echard. Tom. II. *Script. Ord. Præd.* pag. 179.

ut ad conciliandam nomini ipſius perennitatem, cuſum fuerit elegans numiſma æneum, ipſius imaginem referens; ex altera vero parte effigiem barbati ſenis, & præceptoris Sixti Medices. Numiſmatis iſtius ſchema habes in fronte hujus editionis, cura noſtra æri inciſum. Deſcriptum porro hoc ſchema fuit ex eo numiſmate, quod inter alia pene innumera ſuo in Muſeo ſervat vir literatiſſimus Comes Joannes-Maria Mazzucchelius, cui nos, ut aliis nominibus, ita & propter hoc multum debere libenter profiteremur, niſi longe honorificentius orbis univerſus literarius ſe ejus eruditioni obſtrictum jampridem fuiſſet confeſſus. Quo tempore, quo loco, qua occaſione, cujus opera cuſum illud fuerit Vielmio numiſma, conjectari non valemus; imo & ſe nihil hac de re certi habere reſponderunt viri ſummi, Apoſtolus Zenus, & Gaſpar Negri Epiſcopus Parentinus (qui & ſimile apud ſe habere numiſma dicuntur) nobis agentibus interrogati. Vielmii effigies nullum exhibens inſigne Epiſcopale, ſed ſolum Monachalem cucullum, certe indicat excuſum numiſma, antequam Vielmius ad Epiſcopales infulas promoveretur. Conjunctæ in uno numiſmate imagines Vielmii, & Medices innuere quodammodo videntur tempus, quo ambo ſimul in Patavino Lyceo florebant, aut non multam a tempore illo diſtantiam. Cætera inveſtigabunt peritiores.

HIERONYMI VIELMII

OPERA.

I. *Oratio apologetica adverſus obtrectatores Theologiæ præſertim ſcholaſticæ. Venetiis.* 1555. *in* 4. *parvo*. Hanc recitavit Orationem Vielmius, quum primum in Patavino Gymnaſio Theologiam auſpicaretur, anno 1554. quæ anno ſequenti typis ſine nomine Impreſſoris edita, iterum poſtea prodiit ſimili forma, cura Joannis Faſeoli, Patavii apud Laurentium Paſquatium, anno 1564. Demum edita fuit Venetiis apud Juntas, anno 1575. ab Auctore plurimarum rerum acceſſione locupletata. Nos poſtrema hac editione utemur, marginalibus tamen citationibus adjectis, quæ in prima tantum editione habebantur.

II. *De*

II. *De D. Thomæ Aquinatis Doctrina & Scriptis ; Libri duo. Patavii apud Laurentium Paſquatium* 1564. *in* 4. Antonius Senenſis alias gloriatus ſe Vielmii opera vidiſſe, omnino inepte libros iſtos vocabat, *Orationem egregiam in commendationem D. Thomæ , & Scholaſticorum* (79). Eos ſcripſit libros Vielmius, quando Tridentino Concilio jam factus Epiſcopus intererat (80), hoc eſt, inclinante anno 1563. lucem tamen publicam haud viderunt, niſi anno ſequenti, opera memorati Faſeoli. Prodiere denuo, ab Auctore inſigniter aucti, apud Juntas, anno 1575. Hanc nos poſteriorem editionem ſequemur addentes in margine citationes aliquas, quæ nobis viſæ ſunt magis neceſſariæ, quum Vielmius ipſe fere nullas appoſuiſſet. Adjiciemus præterea ad calces paginarum , ubi opus erit , annotationes ad illuſtranda loca quædam obſcuriora ; vel ad propugnanda, quæ Vielmius dixit, quæque aliqui immerito carpſerunt; vel etiam ad emendanda alicubi Vielmii ipſius errata : ut quiſque noſcere queat nos non ita Vielmium ſuſpicere, ut velimus ſequi etiam errantem. Cæterum ubi in lib. 2. Vielmius catalogum texit operum Sancti Thomæ , nihil nos addere voluimus , contenti iis , quæ præſtitit diligentia incomparabili Echardus (81); niſi forte fortuna nobis occurrerit aliquid, quod loci, & temporis ratione habita , pervidere nequaquam potuerit laudatus Auctor.

III. *De Optimo Epiſcopi munere*, *Oratio*. Scripturas Sacras in Patavino Gymnaſio interpretari, anno 1565. aggrediens Vielmius , prælufit Oratione hac , quam mox Auguſtino Valerio inſcriptam edidit (82). Primam hanc editionem ad manus habere nequivimus, ſed alteram tantum Venetam, apud Juntas anno 1575.

IV. *De ſex diebus conditi orbis*, *Liber. Venetiis apud Juntas* 1575. Lectiones triginta complectitur, quas e ſuggeſtu Patavino recitavit , ſacrarum Scripturarum publicus interpres , Vielmius , & poſtulante , atque auſpi-

ce

(79) *In Bibliotheca FF. Prædicat.* pag. 215 edit. Pariſ. an. 1585.

(80) Vid. lib. I.

(81) Tom. I. *Scriptorum Ord. Præd.* ubi de S. Thoma loquitur.

(82) In Epiſtola nuncupatoria Orationi illi præfixa etiam in editione apud Juntas, Vielmius ſe ſcribit tantum Epiſcopum Argolicenſem; eam igitur primum edidit, & nuncupavit Orationem ante ann. 1570. quo ad Epiſcopatum Æmonienſem translatus fuit ; atque adeo editio anni 1575. a Juntis facta non fuit prima Orationis illius editio.

Digitized by Google

ce Aloyſio Juſtiniano, electo Patriarcha Aquilejenſi, publici juris fecit. Honorificam earumdem mentionem habuerunt nonnulli Scripturarum interpretes graviſſimi; ſed aliqui tamen multa ex illis in ſuos Commentarios derivantes, ne dignati quidem ſunt fontem coronare, unde hauſerant: de quo merito Raphael Ripa conquerebatur (83). Vielmii opera hactenus enumerata, in unum collecta in editione multoties memorata apud Juntas, juſtum efficiunt Tomum in 4.

V. *De Epiſcopis, quos Titulares appellant, Elucubratio. Venetiis apud Hæredes Franciſci Rampazetti* 1580. *in* 4. Quum Generalis Ordinis Prædicatorum Magiſter Vincentius Juſtinianus in Synodo Tridentina magno animorum æſtu excitatam audiſſet controverſiam *de Epiſcopis Titularibus*, cujus controverſiæ ſæpius mentionem facit ejuſdem Concilii Hiſtoricus Cardinalis Pallavicinus (84), a Vielmio per Epiſtolas petiit, ut, quod ipſe de talibus Epiſcopis ſentiret, ſcripto ſignificaret (85). Caſu quodam diu reſcribere diſtulit Vielmius; ſed reſcripſit tandem copioſe, & accurate hac edita Elucubratione. Perrara nunc occurrunt ejus exemplaria, ita ut impreſſum nos habere non potuerimus, ſed tantum ab amanuenſi deſcriptum ex eo, quod habetur in Bibliotheca Veneta, ad SS. Joannis & Pauli. Nemo idcirco mirari debet accuratiſſimos Quetivium, & Echardum hanc Elucubrationem inter Vielmii opera inedita repoſuiſſe (86). Cæterum etiam ante Auctores iſtos editam lucubrationem illam dixerant, Aubertus Miræus (87), Ghilinius (88), aliique.

VI. *De Reſidentia Epiſcoporum*. Quando in eodem Tridentino Concilio deliberabatur de *Reſidentia* Epiſcoporum in Eccleſiis ſuis, an juris eſſet naturalis, aut divini, an humani dumtaxat: ſummus Pontifex Pius IV. Vielmio tunc publicum in Romano Lyceo Theologiæ profeſſo-

(83) In 2. partem ſummæ S. Thomæ, quæſt. 70. art. 1. *de opere quarta dies*.

(84) Præſertim lib. XXI. cap. 4. num. 4.

(85) Narrat hæc omnia Vielmius in Elucubrationis iſtius exordio, eumdem Vincentium Juſtinianum jam factum Cardinalem alloquens.

(86) Tom. II. *Scriptorum Ordinis Prædicatorum*, pag. 265.

(87) In Auctario *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, parte 2. cap. 113.

(88) Loco inferius citando. Vide etiam *appendicem Bibliothecæ Cardinalis Imperialis*, litera V.

feſſorem agenti juſſit, ut ea de re aliquid literis conſignaret (89). Scripſit reipſa hoc de argumento Vielmius, ſcriptumque vidit ejus amiciſſimus Franciſcus Vargas tunc item Romæ degens; qui & nominatim accito hoc Vielmii *Tractatu* aliqua ex ipſo defloravit, non tamen ſatis indicans, an prælo tantum paratum eſſet, an etiam impreſſum (90). Simili ferme modo Michael Pius, Franciſcus Sanſovinus, Auguſtinus Superbius, aliique hoc Vielmii *de Reſidentia Epiſcoporum* opuſculum inter alia ejus opera enumerantes, neque edita ab ineditis ſecernentes, dubium reliquerunt, an typis vulgatum revera fuerit. Ferdinandus Ughellus (91), Hieronymus Ghilinius (92), aliique pauci aperte editum opus affirmant; non tamen tempus, vel locum indicantes, aut nomen typographiæ. Nos innumeris in locis, & diligentius opuſculum iſtud fruſtra conquirentes, pene credebamus amiſſum, ejuſque jacturam dolebamus. At ecce præter ſpem nuper Tarviſio ab humaniſſimo & erudito Bibliothecæ noſtræ apud S. Nicolaum cuſtode, P. L. Bonifacio Turre per epiſtolas admonemur ibidem aſſervari Manuſcriptum una cum aliis, quæ mox deſcribemus. Fortaſſe non multo poſt novam iſtius, & præcedentis opuſculi editionem procurantes penuriæ medebimur exemplarium, eaque ab interitu vindicabimus.

VII. *De Pœnitentia*, *Lectiones XX.* Iſtas prælectiones recitavit Vielmius e Cathedra publica Theologica Patavii, anno 1558. ut ipſemet in iiſdem teſtatur. Eaſdem quoque habuit in monaſterio S. Joannis de Viridario excipientibus Canonicis Regularibus Lateranenſibus, inter quos duo celebrantur viri doctiſſimi, Gabriel Flamma Venetus antea memoratus, & Aſcanius Martinengo Brixienſis poſtea Abbas Generalis. Extant hæ manuſcriptæ in noſtra Bibliotheca Tarviſina ad Sanctum Nicolaum.

VIII. *In Epiſtolam D. Pauli ad Romanos*, *Lectiones VII.* Hæ quoque manuſcriptæ in nuper memorata Bibliotheca aſſervantur; quarum poſtrema ad caput V. Epiſtolæ ejuſdem ſpectat, aliæ vero ad caput IV. In ipſis innuitur

(89) Ita rem narrat Vielmius *de novo & priſco Melchiſedecho*, lib. I. Excurſione 3.

(90) In *Reſponſo de Epiſcoporum Juriſdictione* &c. Axiomate 12. ajebat Vargas, loquens de hoc Vielmii *Tractatu*,„Quem ſuper „hac Reſidentia non ita pridem conſcripſit.

(91) Tom. V. *Italia Sacra*, ubi de Epiſcopis Æmonenſib. num. 61.

(92) *Teatro d'uomini letterati*, pag. 129.

nuitur, cæteras etiam præceſſiſſe lectiones pertinentes ad capita priora: at quonam abierint illæ, non indicatur. Non dubium has lectiones, illas eaſdem eſſe, quas Vielmium e ſuggeſtu Patavino in memoratam Epiſtolam recitaſſe antehac admonuimus.

IX. *De novo, & priſco Melchiſedecho, Libri tres*, hoc eſt, *Excurſiones ſcholaſticæ, & Commentarii in ſeptimum caput Epiſtolæ D. Pauli ad Hebræos*. Hoc Vielmii opus ineditum, aſſervatur manuſcriptum in Bibliotheca noſtra Veneta ad Sanctorum Joannis, & Pauli. Multi Scriptores operum Vielmii catalogum texentes etiam Commentarium illum indicant; ſed nemo tamen manuſcriptum vidiſſe credendus eſt: quum omnes eo integram Epiſtolam ad Hebræos exponi tradant, illudque propterea vulgo nominent *Commentarium in Epiſtolam ad Hebræos*, ſive, ut nimio laconiſmo ajebat Ambroſius Gozzæus, *ſuper ad Hebræos* (93). Sunt etiam qui opus iſtud typis editum dicunt (94), abſque ulla tamen ſpecie veritatis. Continet porro manuſcriptum hoc portionem ſelectam earum prælectionum, quas in totam Epiſtolam ad Hebræos Vielmius olim in Gymnaſio Patavino recitaverat. Hanc portionem ſecundis curis limatam prælo præparaverat, *ut ſi reliquos* (in totam ſcilicet Epiſtolam Commentarios) *ob ſenectutem, & crebras, graveſque meas ægritudines non abſolvero, vel ſaltem hi tamquam Dominici panis fragmenta quædam, non pereant*, ita enim ipſemet loquebatur (95). Quamquam ne iſtam quidem portionem complere penitus potuit, morte fortaſſe interceptus: dum verſiculum 27. capitis illius ſeptimi interpretatus fuiſſet; atque adeo nondum expoſito verſu ejuſdem capitis poſtremo. Ex manuſcripto illo, lituris identidem, lacuniſque interrupto, exemplar incomparabili tolerantia, & quanta fieri potuit diligentia, deſcripſit; atque ad nos tranſmiſit memoratus jampridem P. Lector Joannes Maria de Moſchenis. Polliceremur libenter nos horum manuſcriptorum editionem ſuo tempore curaturos, niſi ab obliganda fide

(93) In *Catalogo Virorum ex Familia Præd.* &c. pag. 107. edit. Venet. an. 1605.

(94) Eruditiſſimus Epiſcopus Pius Thomas Milante in *Auctario Bibliothecæ Sancti Sixti Senenſis*, Commentarium Vielmii in Epiſtolam ad Hebræos *editum* vocat; quum antea admonuiſſet ſe *edita* opera vocaturum illa, quæ eſſent typis excuſa.

(95) In fine 1. Excurſionis lib. I.

fide noſtra nos, præter alia multa, deterreret timor; quo veremur, ne duo priora, quorum exemplaria exſcripta nondum habuimus, nimium mutila, neque publicæ typorum luci ab Auctore præparata; nequeant ſatis Auctoris ejuſdem famam ſuſtinere. Certe tamen illud, de quo in hoc articulo loquuti ſumus, Auctoris nomini apprime reſpondere poteſt, quum propter immenſam, qua ſcatet, eruditionem, tum propter incredibilem rerum, in quas excurrit, varietatem; cujus ne minima quidem portio titulo ſignificatur: atque adeo de ipſo, quum primum per otium licebit, prælo committendo non omnino deſperamus.

X. *De Notis Eccleſiæ Concio*. Inter crimina, quæ Vielmio apud Fidei Quæſitores Romæ fuerant objecta, quinto loco numerabatur, quod dixiſſet, *nullas extare notas, quibus dignoſci poſſit vera a falſa Eccleſia*. Ab hac ſe liberavit calumnia inquiens: „ Ad quintum dixi eſſe „ meram impoſturam, & produxi meam Concionem de „ Notis Eccleſiæ, ante decennium a me editam „ (96). Fuerit ne Concio iſta typis impreſſa, an tantum e ſuggeſtu recitata, non ſatis indicat phraſis iſta Vielmii.

XI. Jam inde ab anno 1563. annotationes quaſdam parturiebat Vielmius ad D. Thomæ Aquinatis Summam illuſtrandam (97). Quid illæ continerent, ubive lateant, ignoramus omnino: certe numquam publicam hauſerunt lucem.

XII. Adverſus Matthiam Flaccum Illyricum, hominem e ſuperſtitione Lutherana, & nominatim contra ejus librum *de ſectis, & diſſenſionibus Papiſtarum* ſcribere meditabatur Vielmius, Æmoniæ degens: eamque ob cauſſam a S. Pio V. cui gratiſſimum fuerat hanc ineſſe Hieronymo mentem, facultatem obtinuerat pernicioſi illius libri apud ſe retinendi, & perlegendi (98). Cæterum divinari haud valemus, quid de toto hoc negotio actum fuerit deinceps. Tomaſinus in catalogo operum Vielmii etiam opus hoc recenſet (99).

Alii fortaſſe nobis diligentiores, aut etiam feliciores, alicubi latentia detegent aliqua Vielmii opera, quæ nos fugerunt.

HIE-

(96) Ex ea prolixa narratione memorata annotat. 34. in Archivo Veneto A. 3.

(97) Id ipſe teſtatur Vielmius lib. II. *de D. Thomæ Aquinatis Doctrina & Scriptis*.

(98) Totum hoc narrat Aloyſius Juſtinianus in Epiſtola Venetiis ad Vielmium Æmoniam ſcripta 22. Decembris 1575. in Archivo Veneto A. 1.

(99) Ex monument. Æmonienſibus. Ita porro opus hoc nominabat Tomaſinus „ Riſ„ poſta alle opere di Mattia Flacco Illirico „ di Albona Calviniſta.

9.4.355

Digitized by Google



Ex æneo numismate apud Comitem Io. Mariam Mazzuchellum.

Petrus Scalvini del. Brixiæ. *Car. Orsolini fc.*

Digitized by Google

HIERONYMI VIELMII
DE
D. THOMÆ AQUINATIS
DOCTRINA ET SCRIPTIS,

LIBRI DUO,

NEC NON

Orationes duæ, habitæ in Gymnaſio Patavino.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNES FASEOLUS

LECTORIBUS.

DIvum Thomam Aquinatem ſumma equidem ſemper ſum admiratione proſequutus ; cujus ſcripta , cum olim Philoſophiæ operam darem , vel ex Latinis ſola , vel præcipue mihi evolvenda duxi . Horum autem cum partim quidem laudationem , partim etiam defenſionem mihi ſuperioribus diebus oſtendiſſet vir optimus atque eruditiſſimus Hieronymus Vielmius Argolicenſis Epiſcopus ; primo quidem libentiſſime legi , poſtea vero & hominem mihi amiciſſimum rogavi , ut eorum mihi copiam atque poteſtatem faceret : qui , quæ ejus eſt humanitas , atque erga me benevolentia , prompto alacrique animo id conceſſit . Re igitur accuratius inſpecta atque cognita , non tam laudari Divum Thomam his ſcriptionibus , & adverſus nonnullos ejus vituperatores defendi ; quam ejus libros dividi , atque iis , quod utiliſſimum eſt , ab hoc doctiſſimo viro vidi ordinem dari . Eum itaque etiam atque etiam hortatus ſum , ut ſuos hos labores in publicum exire pateretur , quos & ſtudioſis plurimum emolumenti , & ei plurimum pro certo haberem allaturos ornamenti . Ac primo quidem abnuebat vir omnium minime ambitioſus ,

Digitized by Google

*qui , quæ alii prehenſando quærunt , potius rejicere ; quam ultro , ut quidquam adipiſcatur , ſolitus ſit elaborare . Neque enim cum in Divi Dominici familia numeraretur , atque in eo cœtu viveret , ubi omnes pene curationum atque honorum conſequutus eſt gradus , lubens ac volens eos eſt umquam adeptus ; ſed quibus eorum diſpenſandorum poteſtas data erat , ii vel invito ſumma quæque obtrudebant . Summo etiam totius Ampliſſimi Senatus Veneti conſenſu , in noſtro hoc Gymnaſio , & primæ olim Philoſophiæ , & ſacræ poſtea Theologiæ exponendæ provincia ei tradita fuit : ad quod ſane munus eum potius evocatum ſemper atque accerſitum , quam ſua umquam ſponte acceſſiſſe omnes novimus . Cui porro dubium , quin cum primum Pius IV. omnium hominum & maximus & ſapientiſſimus , de reparanda Chriſti Dei Eccleſia , hæreſibus tollendis , erratiſque * iis , quæ ſuperioribus Pontificibus conniventibus , in eam defluxerant , amovendis cogitavit , vel primis ſui Pontificatus menſibus hunc ad ſe duxerit advocandum ? Vidi quæ ad eum Summi Pontificis nomine datæ fuerunt literæ : quam honorifice Romam fuerit invitatus cognovi : ſum ipſe locupletiſſimus teſtis : nihil eſt quod hac omnino de re quidquam dubitem . Cæterum quid deinceps effectum eſt ? nonne & ſummo apud Pontificem in honore habitus ? nonne in maximis rebus ejus opera maxime opportuna ? nonne apud ejuſdem Pontificis nepotem , Illuſtriſſimum atque Reverendiſſimum Borromæum Cardinalem , duos annos in ſumma animi tranquillitate vixit ? Quod vel ob eam in primis cauſſam factum eſt , quoniam qualem maxime optabat , nactus*

erat

* Errata heic intellige , non ad fidei , aut morum doctrinam ſpectantia , quæ *hæreſum* nomine ſtatim antea deſignata ſunt , ſed ad abuſus , & conſuetudines pertinentia , quæ verius inferiorum Adminiſtrorum oſcitantiæ , aut populorum , illis perturbatis temporibus , improbitati , quam Pontificum conniventiæ adſcribere Faſeolus debuiſſet.

erat Principem. In eo namque vera religio, eximia pietas, omnis juſtitia, modeſtia, affabilitas, temperantia; nullaque, quæ in eo non penitus eluceſceret, virtus. Cujus actiones, atque cogitationes, cum ab omni virtutum genere proficiſcerentur, ecquis jam vereri poteſt, quin cum incredibili quadam beatitate fuerint conjunctæ? Non poſſum certe non vehementiſſime mirari, cum, qua eſt dicendi lenitate atque copia, Vielmium perſæpe audio de ſummis atque innumerabilibus ampliſſimi hujuſce viri laudibus atque ornamentis prædicantem. Cujus nutu & voluntate etiam factum ſcimus, ut a Pontifice Maximo ejus avunculo ad hunc etiam dignitatis gradum perductus ſit; in quo vel ipſe Pontifex, licet omnium ſupremus, atque poſt Deum Altiſſimum ſine ulla dubitatione reperitur collocatus. Epiſcopus itaque effectus, eique animarum cura, qua nulla aut major, aut præſtantior, tradita eſt. Quibus ornatus atque auctus inſignibus, Tridentum ad illum tot Epiſcoporum cœtum miſſus. Judicavit enim optimus atque ſapientiſſimus Pontifex eo in loco iis viris, qui doctrina, probitate, religione, atque moribus maxime præſtarent, maxime opus eſſe. Ut igitur unde digreſſus pene ſum, eodem revertar, ſua quidem cauſſa, ſuoque nomine is recuſabat, quod ſtudioſorum poſtea mihi gratia ab eo conceſſum fuit. Futurum namque ei pollicebar, atque adeo omnino pollicitus ſum, ſummam ſecum hæc ejus ſcripta allatura utilitatem. Quibus profecto fiet, ut in poſterum diligentius Divi Thomæ ſcripta, quæ tam multa, tamque varia atque copioſa ſunt, explicentur, excutiantur, evolvantur, & in manibus habeantur. Qui expoſitoris nomen jure adeptus eſt; cujuſque libros tot vel priſcorum Græcorum, vel Recentiorum quorundam ab Italia & mente, & lo-

Digitized by Google

cis penitus ſejunctorum voluminibus , ſolos habemus , quos , paria paribus reddentes , objiciamus . Fateor igitur factum eſſe meis vel precibus , vel cohortationibus , ut duo hi libri foras dati ſint : qui optima quidem mente veſtræ utilitatis ergo id fieri volui ; qui ejuſdem etiam apologeticam Orationem , olim quidem me etiam audiente habitam , vobiſque conceſſam , ſed ſolam incedentem , iis adjungendam curavi. Vos , ut bonos decet , quidquid bona mente factum eſt , boni conſulite ; meque bonarum ſemper in republica literaria partium , bonorum juvenum bene ſtudioſum , ut par atque conveniens eſt , vera animorum veſtrorum benevolentia proſequimini : ac Deum Optimum Maximum mecum orate , ut eruditiſſimo huic viro tantum concedatur & vitæ & otii , ut quæ parata ſunt permulta , commode abſolvere , atque ad exitum queat perducere. Facile namque fiet , ut illis , qui re ipſa Chriſtiano nomine digni ſunt , non parum vel fructus , vel lætitiæ , quæ ab hoc fonte manabunt , ſint allatura. Valete.

Datum Patavii Idibus Septembris MDLXIV.

HIE-

HIERONYMI VIELMII VENETI
ORDINIS PRÆDICATORUM
EPIſCOPI ÆMONIENſIſ, OLIM ARGOLICENſIſ
DE D. THOMÆ AQUINATIS
DOCTRINA ET SCRIPTIS
LIBRI DUO.
AD JOANNEM DELPHINUM ANDREÆ FILIUM
Patritium Venetum, Ampliſſimum Torcelli Epiſcopum.

PRÆFATIO.

SI de D. Thomæ Aquinatis doctrina & ſcriptis recte & ſentirent omnes, & loquerentur, non ego, PRÆSUL AMPLISSIME, ea nunc laudanda ſumpſiſſem; neque fruſtra, quantæ ſint præſtantiæ & utilitatis in Eccleſia Chriſti, ut Theologiæ ſtudioſos ad illa accurate evolvenda & cognoſcenda excitarem, pluribus conarer oſtendere. Jure enim Antalcides Spartanorum Rex Sophiſtæ cujuſdam operam eſſe ſupervacaneam exiſtimavit, cum laudationem Herculis, quem magnopere venerabantur omnes, de ſcripto legere appararet, ecquis illum accuſaret, falsè interrogans. Et merito Jureconſulti docent, *Quod notorium eſt, a probationis onere relevare*. Etenim & Ariſtoteles non probat manifeſta, & communiter conceſſa; qualia illa ſunt, *Naturam eſſe, Fortuna nonnulla evenire, Locum eſſe immobilem, Tempus ubique gentium idem numero eſſe:* explorata enim & comperta omnibus cum ſint, ridiculum arbitratur oſtendere illa eſſe. Verum cum cæcitas quorumdam tanta ſit, ut intueri Eccleſiæ Solem hunc minime poſſint, & improbitas hæreticorum eo progreſſa ſit, ut hunc ſapientiæ limpidiſſimum, atque uberrimum fontem inquinare ſpurciſſimo cœno, & veluti obſtruere magnopere nitantur: non erit inutilis, ſpero, & ingrata ſtudioſis hæc noſtra opera, qua & vindicabo pro virili hujus Doctoris monimenta a maledicorum hominum calumniis; & quod ei debeo, officium utcunque perſolvam. Nam ſtudiorum meorum Ducem & Antiſtitem ſummum poſt ſacras Literas, aliorum multorum doctrinis diligenter quoque inſpectis, adhi-

adhibita ratione & judicio, mihi jamdudum illum conſtitui, & diurna ac nocturna verſare manu non ceſſo; ne quis *ignoto Deo* aram me erigere dicat, aut verba illa Domini in me detorqueat: *vos adoratis quod neſcitis*: ut ingratiſſimus merito dicendus ſim, niſi omnem meam operam & ſtudium, meas omnes vires & diligentiam in eo defendendo adhibeam. Oſtendam itaque priore loco, errare toto cœlo eos, qui illius ſcripta in univerſum vel contemnunt, vel negligunt; eorumdemque tum maledicta, tum rationes, qualeſcumque tandem ſint, multis argumentis & teſtimoniis refellam: poſteriore vero, ſcripſiſſe illum volumina propemodum innumerabilia, quorum nonnulla, ſive ſubjectam materiam ſpectes, ſive artem & modum ſcribendi: & cum veterum Theologorum quibuſvis ſcriptis conferri, & recentiorum libris longo intervallo anteponi poſſint. Ac præcipua quidem & magis conſpicua, quantum potero, preſſius examinabo; & in univerſum omnia in ſuas claſſes & loca ita diſtribuam, ut non admodum ægre ſtudioſi in tabulas redigere ea poſſint, & ſcriptores, ac typographi in ſectiones, ſi maluerint, concinne digerere: quemadmodum quoque Vincentius Juſtinianus Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter, vir prudentiſſimus atque doctiſſimus, fieri non modo magnopere cupit, verum etiam pro viribus ſatagit (1). Et quamquam imparem humeris meis provinciam me ſuſcepiſſe intelligo, hujus tamen Sanctiſſimi Doctoris ope fretus, quam humilis & ſupplex imploro, majorem etiam obire non recuſarim. Etenim, ut D. Gregorii Nazianzeni verbis utar: *Quemadmodum vitæ præceptorem, & doctrinæ magiſtrum, & quidquid honeſti quis dicere poſſit, & ab initio ſtatui, & nunc ſtatuo; & ſiquis rerum illius laudator eſt, aut mecum eſt, aut poſt me; victus adeo ab illius pietate, eminentique doctrina ſum*: ita illius præſidium mihi non defuturum eſſe confido. Te verò, JOANNES DELPHINE, PRÆSUL OPTIME ET AMPLISSIME, libellis his ultro alloqui, eoſque tibi dicare volui, teſtes non modo mei erga te grati animi & obſervantiæ, verum etiam illius opinionis, quam de tua eximia eruditione, probitate, & in D. Thomam pietate habeo certe ſingularem.

Cardinalis nunc Illuſtriſſimus a Pio V. creatus.

Epiſt. 27. ad Baſil.

LIBER

(1) Jam tum Romanam meditabatur Juſtinianus accuratiorem editionem operum S. Thomæ, quam anno ſubinde 1570. feliciter ad exitum perduxit.

LIBER PRIMUS.

DUo ſunt hominum genera, qui Divi Thomæ Aquinatis libros vituperare, & quaſi de loco ſuo dejicere conantur; hæretici nimirum omnes, & factioſi alii quidam, qui vel imperitia adducti, vel cæcitate coacti, vel invidia commoti, tantam lucem ægris oculis ferre non poſſunt. Sed de prioribus quorſum attinet verba facere? Sunt enim mali genii, perfrictæ frontis, indocti, corruptæ mentis, præclaræ cujuſque Philoſophiæ hoſtes, Reipublicæ Chriſtianæ perturbatores, & qui, ut ait D. Hieronymus, nobiles evadere conantur in ſcelere. *In cap. 24. Iſaiæ.* Quorum ſane Dux & auctor ſuperiori ætate Lutherus, mirum quam impudenter, quam procaciter, ac falſo Thomam vocare quoque auſus eſt *Phialam iræ Dei*; *Lib. adverſ. Latomum.* & affirmare, eumdem non modo *Hæretica multa ſcripſiſſe, & auctorem fuiſſe regnantis Ariſtotelis, piæ doctrinæ vaſtatoris, quin etiam fontem, & ſentinam omnis hæreſeos, errorisque, & extinctionis Evangelii.* Quibus verbis quid aliud, quæſo, agit, niſi quod animi ſui impotentiam, pus, & virus omne (ſi tamen illud immenſum peſtiferi veneni pelagus exhauriri potuit) in hunc caſtiſſimum, fortiſſimumque fidei catholicæ propugnatorem & anteſignanum effundit? Cumque communis hæreticorum mos ſemper fuerit catholicos magiſtros vocare hæreticos, & Chriſtianum populum probris, ſcommatibus, & contumeliis dehoneſtare, ſibique, & ſectatoribus ſuis præclaros & glorioſos titulos arrogare, & libros huc illuc circumferre, quos e cœlo decidiſſe aſſerant: nemo tamen umquam majori procacitate, & petulantia, quam nequiſſimus hic, & mortalium omnium ſceleſtiſſimus in Eccleſiam Chriſti univerſam debacchatus eſt. Montani ſectatores, in primis vero Tertullianus, ſuos *Spirituales* vocabant, *De Monogamia cap. 1.* noſtros vero *Pſichycos*; quod naturæ appetitus, & conditio poſtulare videatur, ut, cum alter conjugum deceſſerit, ſecundis nuptiis, liberiſque procreandis homines dent operam: quod Eccleſia a Scripturis edocta improbandum eſſe non cenſuit. Origeniſtæ autem, D. Hieronymo *Epiſt. 65.*

teſte,

teſte, *Peluſiotas*, *Lutheos*, *animaleſque & carnales* orthodoxos omnes contumeliæ cauſa nuncupabant; quia credimus, nos a Domino, cum volet, cum his ipſis oſſibus, carne, & artubus excitandos fore a mortis ſomno. Fauſtuſque Manichæus, ut narrat Divus Auguſtinus, *Semichriſtianos* nos appellabat; quia vetus Teſtamentum pari veneratione, ut æquum eſt, cum novo recipimus. Quemadmodum & inſignis apoſtata Julianus *Galilæos*, Salvatoremque noſtrum *Galilæum*, D. D. Gregorio Nazianzeno, ac Cyrillo teſtibus; quod a Nazareth nihil boni proficiſci poſſe ſacrilege cum Judæis exiſtimaret. Iconoclaſtæ vero nos *Idololatras*, non modo priſcis temporibus, ſed his etiam turpiter, inceſtoque ore appellant, quod Chriſti, ſanctæque Deiparæ, Divorumque imagines pie veneramur. Et Pelagius, Cœleſtius, & Capuenſis Julianus, quia gratiam Dei eſſe nobis non modo utilem (quod illi quoque inficiari non audebant), ſed neceſſariam prorſus confitemur, ut ſecundum Deum recte & velimus, & operemur, *Manichæos* nos eſſe affirmabant. Ut Arrianos prætercam, qui *Euſtatianos* nos, Nicephoro teſte, *Athanaſianos*, *Chryſoſtomianos*, & ejuſmodi, ab Epiſcopis ſanctiſſimis Dei cultoribus, quos majores noſtri ſequebantur, atque etiam *Omouſianos*, quod unum eſſentia Deum Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum ſupplices adoremus, vocitare ſolebant. Verum eſſe hæc levia facile quiſque intelliget, mitiuſque nobiſcum egiſſe illos veteres hæreticos arbitrabitur, qui vel Lutheri libros legerit, vel Joannis Coclhæi, noſtrorumque commentarios evolverit, in quibus portentoſa illa maledicta, & ſacrilegas voces commemorant, quas in Pontificem Chriſti Vicarium, & univerſalis Eccleſiæ Paſtorem, in Œcumenica Concilia, in ſacratiſſimos Epiſcopos, in ampliſſimos Principes, in clariſſimos Doctores, in celeberrimas Univerſitates, in omnem denique ordinem, ſexum, ætatem, tamquam de plauſtro, evangelicus videlicet homo, & antiquæ Religionis noſtræ inſtaurator effudit. Quo ſane nihilo meliores ſunt, aut modeſtiores Philippus Melancton, Calvinus, Brentius, & recentiſſimi ejus aſſeclæ, qui Eccleſiaſticam Hiſtoriam in Centurias partitam nuperrime evulgarunt. Etenim & Chriſtianæ Reipublicæ lumina omnia, priſcos

Lib. 1. adv. Fauſtum.

Orat. in Jul.

Lib. 2. adv. Julianum.

Lib. 11. Hiſt. Eccl. cap. 29.

priſcos videlicet Patres, ſucceſſores Apoſtolorum, Eccleſiæ magiſtros, & Spiritus ſancti præclara organa ſuis impoſturis & figmentis, tamquam quibuſdam nebulis obſcurare nituntur; nævoſque, & cicatrices catholica eorum dogmata vocant, erraſſeque contendunt, ubi pietatem avitam, & catholicam docent; ut nemo mirari, aut ab illis ſciſcitari debeat, cur S. Thomam, non modo adverſus illos fortiſſimum malleum, ſed validiſſimam quoque ſecurim, ipſi animarum ſicarii & homicidæ tam vehementer oderint. Ita enim Religionis Chriſtianæ dogmata Aquinas edocuit, ita explicavit, ut omni ſe egiſſe ſtudio oſtenderit, quod D. Hieronymus ſe factitaſſe etiam prodit, ut Eccleſiæ hoſtes omnes, ſuos quoque faceret inimicos. Quamobrem & catholici quoque omnes egregii viri calamitoſis hiſce temporibus, quibus hæreſum pelagus in Eccleſiæ navim fremit, ad hujus Doctoris ſcripta, tamquam ad tutiſſimam ſtationem, & ſacratiſſimam anchoram ſeſe receperunt: nam & communis eorum ſententia eſt, vix fieri poſſe, ut qui jugi, accurataque lectione verſatus in illis fuerit, in pernicioſos errores tamquam in ſcopulos elidat; & ſi ſecus evenerit, feciſſe ille dicendus ſit naufragium in portu. Ergo tantum abeſt, ut Lutheri, cæterorumque hæreticorum in Thomam maledicta obſcurare ejus doctrinam poſſint, ut contra multum ſplendoris, & gloriæ ei potius afferant, certiſſimumque & ampliſſimum ſint illius præſtantiæ teſtimonium. Unde & nos poſſumus S. Doctorem eiſdem verbis in præſenti alloqui, quibus olim D. Auguſtinum alloquebatur in quadam Epiſtola D. Hieronymus; *Macte virtute* (inquit) *in orbe celebraris: catholici te conditorem antiquæ rurſum fidei venerantur, atque ſuſpiciunt; &, quod ſignum majoris gloriæ eſt, omnes hæretici deteſtantur*. Hem! intelligis quanti catholici faciunt hæreticorum maledicta?

Proemio in Dialog. adv. Pelag.

Epiſt. 80.

Sed commune hæreticis eſt, tamquam circæis quibuſdam poculis, ſe, cum volunt, in feras mutare, homineſque, & cæteras cicures perſequi, ac devorare, ſi poſſunt. Quamobrem, illis omnino ſpretis, ad factioſos quoſdam (a calcaria videlicet in carbonariam) nunc me converto, qui cum S. Thomæ lucubrationes vel nequaquam legerint, vel certe quaſi prætereuntes, aut etiam tamquam canis,

ut

ut ajunt, Nilum attigerint, mirum minime eſt, ſi minus quanta ſit ejus ſcriptorum dignitas intelligunt, & ſi temerarii, cum ſtylum in illa ſtringunt, ab illius alumnis vocantur. Redarguit Epicurum Cicero, quod, cum literarum Geometricarum Archimedis nihil intelligeret, diſſerere adverſus illas nihilominus impudens auderet: & ipſi temerarios illos non vocabimus & impudentes, qui fractis modeſtiæ repagulis, in Doctorem hunc nobiliſſimum, quem vel non legerunt, vel non intellexerunt, impotenter inſurgunt? Vah, quæ hæc eſt impudentia? quæ procacitas? quæ malignitas? *Numquid lex noſtra inauditum judicat quemquam? diſcant primum*, ait Zoſimus, *deinde dicant*. Sed factionum natura, ait orbis quidam cenſor, hæc eſſe videtur, ut unaquæque Principem ſuum ſuſpiciat plurimum, & præferre aliis ſtudeat, atque ægre ferat vehementer, qui in ea major eſt, cum repugnari inſtituto illi perſpexerit, cui ſemel ſe addixit. Fateor profecto ita eſſe, nec factum omnino improbo, cum omnibus hominibus, etiam iis, qui illiberales, & ſordidas artes exercent, in more poſitum ſit & receptum, ut pro uniuſcujuſque ingenio, eum ſuæ artis principem laudibus ſinguli efferant, quem in ea excellere judicaverint. Quamobrem id etiam impulſu, & excitatione quadam naturæ effici non negaverim, atque adeo intelligentiæ non errantis conſilio, quæ alicujus boni gratia perenniter operatur. Ita enim virtuti ſuum redditur præmium; ſiquidem omnes præcellentem quempiam in aliqua re ſuſpiciunt, ac venerantur: *habet enim venerationem juſtam* (inquit Cicero) *quidquid excellit*: & D. Hilarius: *Quod ſenſum atque opinionem ingenii communis excellit, id per admirationem ſui meretur laudem*. Rurſum reliqui candidati hac præſtantiſſimorum virorum gloria, tamquam calcari quodam, ad metam virtutis attingendam feliciter urgentur: *ad ſtudia enim quique accendimur gloria*. Amplius, & ſolet illum quilibet, quem magis probaverit, ducem ſibi proponere, quem in ea diſciplina, & facultate ſequatur, cui navare operam cupit; quinimmo & exemplar, quod imitari ad vivum ac exprimere ſtudeat. Solet enim quæ inſtitutio prævium non habet præceptorem ac ducem, fallax eſſe, & omnino incerta. Quamobrem & Plato,

Academic. Quaſt. lib. 4.

Epiſt. 4. ad Afric.

Lud. Vives libro 1. de cauſſis corruptar. Art.

Lib. 1. de nat. Deor.

Enarrat. in Pſal. 68.

Cicero lib. 1. Tuſculan. Quaſt.

In Timæo.

mundi

mundi fabrum exemplar quoddam imitatum fuiſſe ſcribit: & Moſem ſancta Scriptura refert, tabernaculum, inſtar exemplaris ſibi in monte demonſtrati, Dei juſſu ædificaſſe; ut proinde quoque D. Hieronymus ad hunc modum quemdam monuerit: *Habet unumquodque propoſitum Principes ſuos. Romani Duces imitentur Camillos, Fabritios, Regulos, Scipiones: Philoſophi proponant ſibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Ariſtotelem: Poetæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium: Hiſtorici Thucididem, Salluſtium, Herodotum, Livium: Oratores Lyſiam, Gracchos, Demoſthenem, Tullium: &, ut ad noſtra veniamus, Epiſcopi, & præsbyteri habeant in exemplum Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, quorum honorem poſſidentes, habere nitantur & meritum. Nos autem habeamus propoſiti noſtri Principes Paulos, Antonios, Julianos, Hilariones, Macarios: &, ut ad Scripturarum auctoritatem redeam, noſter Princeps Helias, noſter Heliſeus, noſtri Duces filii Prophetarum.* Non igitur improbandum eſt, cum ſibi bonarum diſciplinarum cultores anteſignanum aliquem deligunt, quem ſequantur, & quem pro viribus laudent. Verum nemo cum aliorum injuria honorandus eſt, & cum præclari viri inter ſe conferuntur, ſunt propius, & accuratius inſpiciendi: (quæ enim procul cernimus, parva nobis eſſe videntur) ſuntque eorum vel facta, vel ſcripta æqua ingenii lance ponderanda. Plutarcus Græcos, & Romanos Imperatores, Ariſtoteles in Poetica Homerum, Æſchilum, & Sophoclem, & in politicis Spartanorum, Cretenſium, & aliarum urbium leges, & mores; Georgius Trapezuntius, atque Cardinalis Beſſarion, fere Patrum noſtrorum memoria, Platonem, & Ariſtotelem; & noſtra Joannes Echius, atque Eraſmus Hieronymum, & Auguſtinum; eodemque ferme tempore Longolius Budæum & Eraſmum; aliique alios in re aliqua præcellentes viros odioſe (ut mihi quidem videtur) ſed graviter tamen, judicio & rationibus hinc inde adductis, inter ſe compararunt. At vero ii factioſi, præſertim autem qui e ſcholis præmaturi egrediuntur, ſuos duces ſe pulchre efferre exiſtimant, cum cæteros quoſque celeberrimos Auctores, qui alias ſcholas vel inſtituerunt, vel certe rexerunt, probris dehoneſtaverint, & inani quodam faſtu contempſerint.

Exod. 25.

Epiſt. 13.

rint. Mirarer ego profecto, ſi ii pietatem aliquam cum doctrina conjunctam haberent, qui fieri poſſet, ut ſui eos non ſubpuderet: nunc vero & cum indocti ſint, & eorum integritatis nullum habeant illuſtre teſtimonium, nulla certe me tenet admiratio. Iis igitur nos in præſenti verius repugnabimus, quam bellum movebimus, refellemus potius injurias, quam inferremus; ac nonniſi ubi Doctorem ſanctum nulla cum maturitate, nulloque ſervato decoro, petulanter ac temere inſectantur.

Et ut ab ovo, quod ajunt, veluti exordiar, anno a ſanctiſſimi Doctoris diſceſſu e vita circiter decimo, cum ejus lucubrationes ſumma cum laude & admiratione docti omnes legerent, & probarent (2), Rabula quidam prodiit, qui illas ad ſuum tribunal tamquam cenſor citavit, & inſigni quadam inſcitia, cum pari petulantia conjuncta, ut ille quidem ajebat, correxit; librumque edidit, *Correctorium operum Thomæ*, inſcriptum. Florebat tunc temporis Ægidius Romanus, ſancti Doctoris olim auditor, vir cum excellenti doctrina, tum judicio acerrimo præditus, qui & Magiſtri placita fortiſſime defendit, & errores atque ineptias illius Rabulæ ita detexit, & in theatrum expoſuit, ut veluti publico judicio victoriam tulerit; & cimmeriis tenebris librum illum indoctum, quem eleganter, ac vere *Corruptorium* nuncupavit, plane obruerit; ſuppreſſo etiam auctoris nomine in pœnam, ne videlicet præclaris ipſius ſcriptis perennitatem aliquam ullo umquam tempore conſequeretur. Quamvis Abbas Trithemius eum veluti ab inferis imprudenter, ut alios quoſdam, poſtea revocavit.

Prodiit deinde univerſitatis Pariſienſis nomine cenſura quædam (3), quæ in S. Thomæ doctrinam ita genuinum

(2) Guillelmus Lammerus, ſive de la Mara Anglus, cujus meminit Trithemius *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*.

(3) Tractatus, quem heic Vielmius, pro more ætatis ſuæ, appellat *cenſuram*, haberi ſolet ad calcem librorum Magiſtri Sententiarum, ita inſcriptus: *Excerpta principalium articulorum Tractatus cujuſdam* &c. Scriptus Tractatus iſte fuerat, ad finem vergente ſeculo Eccleſiæ XIV. occaſione controverſiæ Academiam Pariſienſem inter & F. Joannem de Monteſono agitatæ. Primum typis impreſſum Tractatum hunc Baſileæ an. 1510. crediderunt Joannes Caſalas in *Candore Lilii*, Reflex. 1. §. 8. & Seraphinus Piccinardus *de Approbatione doctrinæ S. Thomæ*, Tom. I. pag. 258. aliique, inde argumentum colligentes ad ejus authoritatem elevandam. Sed falluntur tamen, nequid diſſimulemus. In hac noſtra S. Dominici Bibliotheca editionem habemus Venetam an. 1489. librorum Magiſtri Sententiarum, cui adjectus legitur Tractatus iſte; ut mirum ſit editionem hanc latere potuiſſe Piccinardum, qui diutius hoc ipſo in Cœnobio vixit, atque Bibliothecam hanc, vir ſtudiorum amantiſſimus, multoties verſavit.

nuinum infigit, & ſic plane debacchatur, ut catholici doctiores, qui univerſitatem illam veluti ſcholaſticæ Theogiæ parentem venerari magnopere ſolent, graviter ſane, & moleſte admodum ferant, tam probroſam & contumelioſam lucubrationem ejus nomini inſcriptam circumferri. Ego ſane, & ſi non dubitem, alium neminem contingere S. Thomæ antagoniſtam & concertatorem potuiſſe, cujus congreſſu glorioſior exiſteret, atque infelicem illius libelli Auctorem (4); videamque inconſultam illam, & ſubitam cenſuram irrideri paſſim, atque contemni: indignor tamen, ac excandeſco, eo temeritatis non modo impune, ſed etiam conniventibus Pariſinis, Auctorem illum eſſe progreſſum, ut quiſquilias illas & fæces, quas toto opere congerit, in celeberrimos magiſtros, tamquam in auctores & fontes, falſo rejecerit. Ut autem intelligant omnes num ita ſit, & diſcant juvenes in evolvendis ejuſmodi imperitis ſcriptis horas male non collocare, bona & integra fide pauca hic ejus verba tranſcribam.

Quinta concluſio. Prædicta ſancti Thomæ doctrina ſecundum quoſdam eſt in fide erronea, ſeu in aliqua ſui parte de ejuſmodi errore ſuſpecta; & in hac concluſione non aſſertive, ſed ſolum recitative loquimur. Hem quid audio? Sancti Thomæ doctrina ſecundum quoſdam eſt in fide erronea? atque adeo nec multo negotio Auctor dixiſſet, opinor, etiam hæretica. At vero quis catholicus unquam, ac ſanæ mentis hoc dixit? Et vide hominis aſtutiam: utitur enim numero majori, ut emanaſſe a pluribus auctoribus, hoc eſt, ab univerſitate Pariſienſi volumen illud, dolo

lo

(4) Poſtquam ſeculo ſuperiori Bulæus, Dupinus, Launojus, aliique ſcrutari ſunt ſcrinia Collegii Navarriei Pariſienſis, palam tandem innotuit Reipublicæ literariæ verus Author iſtius *Tractatus*, Petrus ſcilicet Caidinalis Alliacenſis, cujus autographum ibidem aſſervatur abſque lacunis, & omiſſionibus, quss Vielmius poſtea ridet, & carpit. Certe ſi hæc Vielmio quoque potuiſſent innoteſcere, abſtinuiſſet omnino a phraſibus durioribus, & acrioribus ſalibus; quum aliss ſæpe (*de ſex diebus conditi orbis*, lect. 3. 5. & 6. &c.) Alliacenſem nominatim acetum tractaverit humaniſſime, & oppugnaverit abſque ulla acerbitate verborum etiam in rebus fere iiſdem, in quibus Joannes Picus Mirandulanus, vir graviſſimus, Alliacenſem de nomine vocatum pene diris devoverat, inquiens: *damno, execror, atque deteſtor* (lib. 1. in Aſtrologiam). Nemo igitur vitio vertat Vielmio, quod Authorem ignotum, & ſola *Tractatus excerpta*, nec spte digeſta, ſive (ut loquamur cum Launojo Epiſt. 1. ad Antonium Fauſtum) *diſpendium potius, quam compendium* Tractatus durius perfricuerit. Aliquid etiam condonandum ætati, qua ſcribebat Vielmius, quaque vulgo credebatur in eo Tractatu hominem latere peſſime animatum contra doctrinam Præceptoris Angelici. Conſule, præter citatos annot. præcedenti, etiam Franciſcum Sylvium in *Oratione Apologetica pro S. Thoma*, inſerta Tom. V. operum ejuſdem Sylvii, editionis Antuerpienſis.

lo malo, ut exiſtimo, tyronibus, & indoctis imponeret. Utrobique ſatis rhetorice; & in transferenda accuſatione; (depellit enim eam a ſe, & in alios rejicit); atque in auctoritate ſibi ementito univerſitatis titulo paranda. Neque enim in cenſuris Pariſienſibus hanc loquendi formulam facile alibi invenies, qua hæc inconſulta utitur. Et ne forte quod dixit, excideret, mox hæc etiam addit: *dicunt enim aliqui, quod illa doctrina multos errores continet*. Sed vir doctiſſime, proferre certe eorum nomina debueras, qui notam uſque adeo gravem, ac fædam doctrinæ ab Eccleſia generatim laudatæ inuſſerunt; ac intelligeremus eos eſſe Joannem Wicleffum, Joannem Huſſum, Hieronymum Pragenſem, alioſque vel hæreticos, vel factioſos, & contentioſos obtrectatores, qui tanti viri ſplendore commoti ſeſe in tenebris abduut: quorum auctoritati hac in re quidquam tribuere, vere profecto eſt in fide vehementer errare. Cur igitur hos nobis catholicus homo objicit? cur laudatiſſimam doctrinam horum præpoſtero, & iniquo judicio ream facit? Etenim & plerique ſunt, qui ſacras literas multos continere errores affirmant. Alcoranus, Talmudiſtæ, Manichæus, Lutherus, & alii, qui vel veteres, vel novas, vel earum partem, vel in univerſum omnes ſacrilege, non modo olim, ſed noſtra quoque ætate rejiciunt: num ergo damnandæ illæ propterea ſunt, aut ita a catholicis recipiendæ, ut de earum ſanctitate, & veritate ſubdubitent? quis catholicus hoc dicat? Apage ergo cum intolerabili hac ſive ignorantia, ſive amarulentia! Sed proferam nunc præclara argumenta, quibus hic ſciolus graviſſimum Magiſtrum adoritur: & cum ſpectatum admiſero, riſum teneatis amici. Primum non minori ignorantia, quam odii acerbitate caput vigeſimum nonum libri ſecundi adverſus Gentes quaquaverſum (ſed infeliciſſime tamen) expendit, ac reprehendere multis conatur: quibus cum & Franciſcus Ferrarienſis, & alii quidam Sancti Thomæ ſectatores dudum accuratiſſime reſponderint, nemo expectet a me, ut ea nunc denuo refellam: confeſtimque locutionem quandam Sancti Thomæ (ejus utar verbis) falſam ſibi, & impropriam videri affirmat; cujus rei ſi rationem quæras, ſic perbellus homo reſpondet: *Et hoc probatur &c.* Et cum rurſum ſcribit, videri ſibi fundamen-

mentum illius doctrinæ Sancti Thomæ multipliciter erroneum, cauſam hanc eruditus vir, & naris prorſus emunctæ affert: *primo quia &c.* Et utrobique nihil aliud, OPTIME PRÆSUL, addit; nullis præterea argumentis nititur; ſed his ipſis plane verbis, quæ legis, pugnam inſtruit, & victoriæ encomium jactitat: arbitratus, opinor, ſatis, ac veluti plus nimium, futilibus illis rationibus, quas præmiſerat, de ea Thomæ doctrina triumphaſſe. Papæ quanta inſania! Quis, quæſo, hoc homine craſſiorem, & ſtolidiorem unquam audivit? Et hic dignus eſt, qui cum Thoma pugnaſſe dicatur? qui manibus ſtudioſorum teratur? & quem Pariſienſes (5) ſuo nomine cum Magiſtro Sententiarum impreſſum legi æquo animo ferant? Proh pudor! Sed ad hæc, cum enumeraſſet nonnulla, quæ in illa doctrina diſplicere ſibi imperite contendit, alia quædam præterea eſſe ſubdit, quæ erronea, falſa, & impropria ſunt: hæc ſi roges ut proferat, ita mollis, & delicatus homo reſpondet: *quæ tamen ex tædio prætermiſimus.* Et ita, JOANNES DOCTISSIME, quod ſane perridiculum eſt,

Si tantum ſpectes hominis caput, Hectora credas;
Si ſtantem videas, Aſtyanacta putes.

Proinde clariſſimæ illi univerſitati conſultius certe eſſet tam ineruditum, & probroſum libellum, illius nomine inſcriptum & ſupprimere, & damnare. Ego certe volui brevi hac excurſione candidatos omnes admonere, quid de

D indo-

(5) Scite Vielmius *Cenſuram* iſtam, ſive *Tractatum* ab univerſitate Pariſienſi non prodiiſſe affirmat. Convenit inter eruditos legitimum illius Auctorem fuiſſe Petrum Alliacenſem: qua de re videndi, præ cæteris, Dupinus in *Appendice* ad Tom. I. Operum Gerſonii, & Launojus in *Hiſtoria Regii Navarræ Collegii*, parte 3. lib. 1. cap. 4. Idcirco quando idem Launojus poſtea *de varia Fortuna Ariſtotelis*, cap. 10. & alibi ait, editum *Tractatum* illum fuiſſe a Facultate Theologica Pariſienſi, id eo ſenſu videtur intelligendum (niſi ſecum ipſo aperte pugnet Launojus) ut Facultas illa Alliacenſi provinciam commiſerit reſpondandi Monteſono, hocque præſtiterit Alliacenſis iſto *Tractatu* conſcripto, cui ſubinde nihil aliud a Facultate eadem acceſſerit, niſi mera, ut Vielmius dixit, conniventia. Quis enimvero credat editum, aut definite approbatum a Facultate Theologica Pariſienſi Tractatum illum, in quo, ut D. Thomæ doctrina alicubi in fide erronea, ſaltem ex aliorum ſententia, probetur: doctrina quoque S. Petri Apoſtolorum Principis Antiochiæ judaizantis, ſimiliter in fide erronea dicitur; quum alias Pariſienſes Magiſtri bene multi etiamnum S. Petrum a labe erroris circa fidem in re illa impune, & probante Facultate Theologica purgent? Quis credat ab ea Facultate editum, aut approbatum *Tractatum* illum, in quo propoſitio quædam Monteſoni aperte hæretica pronunciatur, quum tamen poſtea doctores Pariſienſes, an. 1683. plenis in Comitiis quadrageſies & quinquies habitis, vix, & nonniſi poſt trimeſtres contentiones, multis etiam diſſentientibus, auſi ſint mitiori cenſura propoſitionem eamdem notare? (Vid. Nat. Alexand. diſſertatione 12. in ſæcula XIII. & XIV. num. 36. & ſeqq.) Aut dicenda erit, quod nemo certe dixerit, ſuimet oblita Theologica Facultas Pariſienſis; aut certe affirmandum ab ea Facultate neque editum umquam, neque definite approbatum *Tractatum* illum.

indoctiſſimo illo Anonymo ſentiam ; non vero ut cum eo pugnarem : morbus enim major eſt , quam ut curari mea opera poſſit : nec tamen ab eruditis minorem gratiam ſpero mihi habendam fore.

Jam vero hujus generis plures reperies , qui non niſi magna acerbitate , magnoque verborum ſtrepitu , ac , ut dicam quod ſentio , livore quodam , & inſigni malitia ducti (ſuſpicari certe aliud non licet) , præſtantiſſimi hujus Doctoris monimenta ſuſque , deque ferunt : ſemel enim verecundiæ fines tranſgreſſi , bene , & naviter voluerunt eſſe impudentes : quos omnino præterire , atque contemnere , ut ad graviora properem , mei eſſe muneris arbitror : quemadmodum etiam Ariſtoteles fieri oportere prudenter ſubmonuit.

Proinde venio ad eruditos quoſdam , qui majores illos noſtros , qui in Theologia ante quingentos , vel etiam ſexcentos annos ſcripſere , avidiſſime legunt , ſummopere admirantur , & mirifice colunt ; Sanctum autem Thomam , & recentiores alios , qui citra quingentos hos annos in Eccleſia floruerunt , & Scholaſtici nuncupantur , nequaquam ſua lectione dignos exiſtimant ; ac moleſte ferunt a quoquam impenſius laudari ; dicereque frequenter in congreſſibus ſolent , veteres illos Patres non modo eloquentiſſimos eſſe in ſcribendo , & ſuaviſſimos ; & proinde gratiam , & amorem Theologiæ conciliare : reliquos vero barbaros & ſordidos , & qui lectores abigunt , ac perterrefaciunt ; verum etiam illos fuiſſe Theologiæ fontes , & præclaros parentes , atque auctores ; Scholaſticos autem compilatores , & rhapſodos , quod nihil ferme novi promunt ; ſed acceptam a Patribus doctrinam anxii diſquiſitores , & vitiligatores obſcuraſſe potius , quam illuſtraſſe ſuis diſputationibus videntur. Quamobrem & Œcumenica Concilia , ipſamque in primis Romanam ſedem fidei magiſtram proferunt , quæ tanti hos Patres ſemper fecerint , ut non niſi illis ducibus & magiſtris , emergentes in Eccleſia de Religione controverſias definierint , & publicis edictis eorum opera comprobaverint : Scholaſticos autem non modo hallucinari , verum etiam interdum pernicioſe erraſſe affirmant. Itaque probe Reipublicæ noſtræ conſultum iri dicunt , ſi juventutis noſtræ flos , qui ſcholas

ſecta-

ſectatur, & ſuſpicit, ad ſacra Biblia, & veterum dumtaxat volumina accurate legenda revocetur. Et hæc quidem illi.

At vero alii quidam, doctrinam Thomæ multos habere oppugnatores, viros egregios, & celebris in Eccleſia nominis perpendunt, Henricum, Durandum, Joannem Scotum, Alphonſum, Gregorium Ariminenſem, Aureolum, & alios permultos; quos omnes, aut imperitiæ, aut malevolentiæ damnare, ſummæ ſit impudentiæ ac temeritatis: contra vero, catholicos omnes recipere veteres Patres, atque eorum doctrinæ ſubſcribere. Sunt & alii, qui crebro articulos quoſdam, Lutetiæ Pariſiorum damnatos, qui ex Thomæ doctrina feruntur excerpti, aut certe cum illa arctam habere neceſſitudinem & affinitatem objiciunt. Alii rurſum faſtidire ſe in ejus ſcriptis frequentem illam locorum multorum repetitionem quam cernimus: etenim non modo in Summa, verum etiam in Sententiis, in Quæſtionibus diſputatis, & cæteris ferme omnibus ſcriptis eadem argumenta, ſubjectaſque materias ſolet tractare; ut non poſſit lectori crebra illa repetitio rerum etiam pulcherrimarum non eſſe moleſta, & ſupervacaneus hujus Doctoris alicubi labor. Objiciunt in eumdem alii obſcuritatem; quod cum multa multis in locis ſcripſerit, a ſe ipſe, veluti eorum immemor quæ alibi dixerit, crebro recedit; ſuppreſſo quidem frequenter nomine, interdum autem & ſe accito recantat, ut multam ob id, atque accuratam meditationem afferre lectorem oporteat, ſi dictorum conciliationem, atque concordiam aſſequi ubique velit. Sunt præterea myſticæ Theologiæ ſtudioſi quidam, qui ſe moleſte ferre dicunt, quod frigidum, & elangueſcentem animum hæc Thomæ doctrina admodum raro ad Dei amorem, & ad bene ſancteque vivendum excitet, atque incendat; quodque ſæculares diſciplinas cum Theologicis plus nimium commiſcet, perinde ac ſi ſacra Scriptura, & Sanctorum explicationes ſatis non ſint ad arcana illa percipienda, quæ nec Gentilium, & univerſæ naturæ oculus vidit, nec auris audivit: quod in Scholaſticis ferme omnibus, (D. Bonaventura excepto) cancellarius Gerſon deplorat, magni apud quoſdam nominis doctor. *Epiſtola de laudibus D. Bonavent.* Quemadmodum quoque, quod curioſi nimium ſint, & ea

 inve-

inveſtigent interdum, quæ humilitate, & ſancto ſilentio adorare debuerant; eaque ſubtiliſſime diſputent, quæ nullam lectoribus afferunt utilitatem, nihilique, aut certe parvi referat, num ſic, an alio modo ſe habeant. Quod argumentum Eraſmus, & funeſti homines quidam rhetorice, hoc eſt, multis verborum lenociniis, ac præſtigiis ita tractarunt, ut bonæ indolis egregios complures adoleſcentes a Scholaſticorum, præſertim a Sancti Thomæ ſtabili & certa doctrina, ad Poetarum nugas, & flores Rhetorum maligne abduxerint, in illiſque conſeneſcere coegerint. Sed & nonnulli partitiones illas, & ſubpartitiones tam crebras in ejus ſcriptis magnopere damnant. Poſtremo mirantur quidam, & facti rationem quærunt, cur Aquinas numquam præceptoris Alberti, numquam Alexandri Alenſis, Vincentii, & aliorum meminerit; numquam honoris ſaltem gratia citaverit, qui vel eadem ætate fuerunt, vel certe paulo anteceſſerunt; quorum tamen doctrina, & ſcriptis plurimum videtur profeciſſe: ac niſi hominis ſanctiſſimi puritas, & innocentia criticos hos deterreret, plura quoque & non rogati ultro in hanc doctrinam objicerent.

Adverſus igitur hos, cum rationibus agere nobiſcum videantur, non maledictis, ita ego ſubmiſſa & æquabili diſputatione agam, ut viciſſim rationibus, argumentis, & teſtimoniis oſtendam (quod mearum partium eſt) Sancti Thomæ doctrinam, tamquam domum illam Evangelicam ſupra petram egregie ſtructam, nullam ventorum vim, nullam aeris inclementiam formidare: & veluti conflagrantem Moſis Rubum in medio ignis, non conſumi, ſed perſtare inviolatam, rectam, inconcuſſam, ſtabilem. Judicium vero tuum, & cenſuram, VIR ERUDITISSIME, ultro depoſco.

Ergo Sancti Thomæ præſidio rurſum hic implorato, ſic ego prioribus reſpondeo: adeo agnoſcere me, & venerari veteres Eccleſiæ doctores, ut chriſtianam pietatem omnem, poſt ſacras literas, & Apoſtolorum traditiones, eiſdem memor & gratus acceptam referam; eiſque poſt Apoſtolos, & Martyres, principem in Eccleſia locum catholicus tribuam; honoriſque gratia ſoleam cum Baſilio eos vocare Theologos; cum Gregorio Nazianzeno ſermo-

Digitized by Google

ſermone & opere magnos; cum Athanaſio mirabiles & laborioſiſſimos; cum Hieronymo magiſtros Eccleſiarum, orbis Deucaliones, Aquilas; cum Ruffino columnas Eccleſiæ, & turres inexpugnabiles; cum Auguſtino ſanctos & venerabiles ſacerdotes, & in divinorum eloquiorum tractatione clariſſimos; cum Cæleſtino viros ſanctæ recordationis, & magiſtros optimos; cum Damaſceno Deiferos; cum Venerabili Beda eminentiſſimas catholicæ fidei arces; cum Bernardo validiſſimos hæreticorum malleos; cum Agathone egregios Præſules, præſtantiſſimos doctores, prudentiſſimos veritatis prædicatores & defenſores, atque orthodoxæ fidei conſtantiſſimos propugnatores: & poſtremo cum Œcumenicis Synodis Patres patrum, glorioſos doctores, & tuta munimenta Eccleſiæ. Memini, & frequentiſſime quidem præclaræ illius Baſilii ſententiæ: *Quod vetuſtate excellit, venerandum eſt;* ac prudentis conſilii Zoſimi: *Apud nos inconvulſis radicibus vivat antiquitas*: & demum quod Caliſtratus dixit: *Semper in Republica noſtra venerabilis fuit ſenectus, & ſenibus eumdem, quem magiſtratibus, honorem majores noſtri viri laudatiſſimi tribuerunt.* Verum enimvero agnoſco, & juſtis etiam laudibus perſequor alios poſteriores doctores, qui Spiritus ſancti opera & magiſterio, non uno eodemque tempore omnes pro patribus filii in Eccleſia nati ſunt; quoſque, ob eorum in nos præclara merita publico jamdudum orbis decreto vocamus Angelicos, Seraphicos, Solemnes, Irrefragabiles, Subtiles, Illuminatos, Graves, Reſolutos, Profundos, Magnos, & Maximos: ſiquidem Alberto, numquam pro dignitate ſatis laudato viro, gymnaſiorum conſenſus viventi ultro hoc cognomentum detulit; ut ſatis mirari non deſinam, cur eos impenſe laudari a nobis antiquarii iſti moleſte ferant. Laudat Plato Græcos, quod artes & diſciplinas omnes, quas a barbaris acceperant, auxerint, & illuſtraverint: & nos nullis efferemus præconiis illos, qui Theologiam in ſcriptis Patrum diſperſam, & latiſſimis veluti campis huc illuc in fruſta magis, quam in membra diviſam collegerunt, in unumque corpus contraxerunt, & urſarum more, multo labore, & vigiliis lambendo pulcherrimam effinxerunt, intraque certam domum ſic habitare fecerunt, ut nemo ſit, qui non brevi quoque tem-

Homil. de laud. jejun.

2. p. D. 25. q. 1.

L. ſemper, ff. de jure immunit.

In Append. Legum.

pore eam convenire poſſit, deque facie cognoſcere, & ejus fieri non jam hoſpes, ſed contubernalis & familiaris? Quanto tempore, obſecro, quanto ſtudio, quibus vigiliis opus eſt, ſi Theologus doctus & peritus ſola veterum Patrum lectione evadere velis? Nullus eorum ſane eſt, qui ordine, methodo, & rerum connexione, quemadmodum poſteriorum plerique, in primis autem Sanctiſſimus Aquinas, rem Theologicam univerſam tractaverit; ſed cum vel ſacra Biblia explicarent, vel contra gentes, judæos, & hæreticos ſcriberent, vel amicis ſciſcitantibus ſatisfacere cuperent, factum eſt, ut alius in alio argumento eruditionis ſuæ opes effuderit, atque hunc in modum talenta ſibi credita expoſuerit; ut ſi veterum illorum lectione dumtaxat contentus, abſolvere numeris omnibus Theologiam velis, vere ars longa, & vita brevis futura ſit. Quamobrem Joanni Damaſceno, Patri præſtantiſſimo, qui anno Domini quinquageſimo fere ſupra ſeptingenteſimum, omnium, ni fallor, primus Theologiæ Panopliam, quatuor de orthodoxa Fide inſcriptis libris, congerere, & ordine diſtribuere aggreſſus eſt, habere multas gratias Theologi omnes debemus. Etenim cum primo libro de Deo, & quatenus eſſentia unus eſt, perſonis autem trinus, egiſſet; mox ſecundo de opificio, atque formatione viſibilium creaturarum, eoque pertinentibus rebus aliis; tertio de incarnatione Verbi Dei, ac rebus ab eo ad deſcenſum uſque ad inferos mirabiliter geſtis; quarto denique de illis omnibus, quæ Chriſto Domino a reſurrectione contigerunt; atque deinceps de Fide, de Baptiſmo, de Euchariſtia, deque Antichriſto, & poſtrema humani generis reſurrectione tractavit: eo uſus differendi, docendique pulcherrimo ordine, qui, cum Petro Abælardo, Magiſtroque Bandino, & poſterioribus omnibus placuiſſet, a Petro quoque Lombardo Epiſcopo Pariſienſi, annis circiter quadringentis poſt Damaſcenum, in quatuor libris, quos Sententiarum vocant, ſervatus eſt: in quibus ita copioſe, & dilucide Theologiam omnem complectitur, ut, cum imitari Damaſcenum videatur, longo tamen intervallo antecedat, Magiſtrique nomen, reclamante nemine, adeptus ſit. Et profecto plurima neque levia, neque contemnenda, quinimo ejuſmodi, ut

ſine

ſine eorum notitia Theologia veluti manibus pedibuſque trunca eſſe videretur, Damaſcenus ſilentio præterierat. Hujuſmodi ſunt Sacramenta, alia ab his, quæ commemoravimus; virtutes morales, ac theologicæ, & quæ illis adverſantur, vitia ac peccata; ad hæc, Spiritus ſancti dona, beatitudines, hominum ſtatus, & alia prope innumerabilia; quorum, una Fide excepta, aut nuſquam ille meminit, aut certe quaſi per tranſennam. Abælardus autem hæreticus cum fuerit, & Bandinus humilis nimium & conciſus, raro, aut numquam leguntur. At vero cum Gulielmus uterque, & Antiſiodorenſis, & Pariſienſis, Albertuſque Magnus, & Alexander Alenſis Lombardum non multis ſæculis poſt ſubſequuti, ejus imitatione Theologiæ Summas quaſdam meliori ordine edidiſſent: D. Thomas omnium poſtremus Theologiæ illuſtrem illam Summam certiſſimo ordine, pulcherrima methodo, & diſſerendi ſubtiliſſimo artificio ſcripſit, palmamque antiquioribus, & poſteris omnibus citra controverſiam in eo ſcribendi genere ademit, numeriſque prorſus omnibus, ut eruditiſſimi quique fatentur, ſacram doctrinam noſtram abſolvit. Quam ob rem, cum primum illa in lucem prodiit, omnes antiquorum Summæ tamquam exorienti Soli ſidera conceſſerunt; & acutiſſimi viri, qui poſtea ad præclaram gloriam, principatuſque faſtigium cum Thoma in palæſtra literaria contendere viſi ſunt, prudenter ſane maluerunt in elucidando Lombardo, atque in miſcellaneis diſputationibus, quæ Quodlibeta vocant, quam in edenda Summa Theologiæ aliqua, cum eo periculum facere: uno tamen, & altero exceptis. Perſequemur autem longiore oratione laudes ejus operis inferius: nunc oſtendiſſe ſatis ſit Scholaſticorum, præcipueque ſancti Thomæ beneficio habere nos integram & egregie formatam Theologiam, immenſumque illum priſcorum Patrum quaſi oceanum, eorumdem induſtria, veluti quibuſdam anguſtis finibus eſſe contractum; ut longi itineris moras ſtudioſi cauſari amplius nequeant, ſi non omnia littora & ſtationes luſtraverint. Qui igitur poſſumus eos non magnopere admirari, non eximiis laudibus proſequi, ac denique non honeſtiſſimum illis locum in Eccleſia tribuere?

Sed aliud præterea videre eſt beneficium, neque le-

ve, neque contemnendum, quod viri ii celeberrimi ſuis diſputationibus, ſcholaſticiſque muneribus poſteris præſtiterunt. Nam cum veteres minori interdum, ut ita dicam, circumſpectione, majorique licentia in ſcribendo uſi ſint, quod non adeo multi hæretici eo tempore Rempublicam Chriſtianam vexarent, & ſe aliter intelligi non poſſe arbitrarentur, quam catholica ſentiret Eccleſia; factum eſt opera horum auctorum, primum quidem, ut Patres commode & pie, ubi minus accurate loqui videntur, interpretemur, ac non eos confeſtim noſtra cenſura aut damnemus; aut deridendos, & exſibilandos (quod faciunt hæretici) in medium proferamus; deinde ut preſſius, limatiuſque nos loquamur, nec a præſcriptis verborum quibuſdam formulis, ac receptis communi conſenſu doctorum regulis aberremus. Neque enim ea verborum libertate noſtris Theologis uti permiſſum eſt, qua Philoſophi Gentilium uſi ſunt, qui non ſemper caſtas, & religioſas aures expetebant; ſed jubentur noſtri caſte, proprie, & demum ita accurate loqui, ut nullam offenſionem, nullam impiam, falſamve opinionem in animis auditorum ſua oratione pariant. Quam forte ob cauſam *Epiſt. 57.* Hieronymus trium Hypoſtaſeon nomenclaturam, quod nova illi videretur, vel certe quod non admodum frequens in priſcorum Patrum monumentis haberetur, non niſi Damaſi auctoritate munitus recipere voluit; & Au- *Libro 1. Retract. cap. 1.* guſtinum, quod Fortunæ nomen ſuis in ſcriptis frequentaſſet, pœnituit. Etenim receptis hiſce loquendi formulis efficitur, ut hoc tempore tutiſſimam caſtiſſimamque Theologiam obtineamus. Ergo hiſce quoque rationibus laudare, & venerari ſcholaſticos doctores catholici omnes eximie profecto debemus.

Sed inquiunt nobis nonnulli: barbare admodum, & ſordide ſcholæ veſtræ loquuntur. Audio, & plane fateor quoſdam ex noſtris contempſiſſe, aut certe neglexiſſe conſulto illas orationis & linguæ elegantias atque amœnitates, quas veterum quidam ad ſuperſtitionem uſque, ut dicam quod ſentio, haud raro ſectantur. Sic enim aureo illo fluunt eloquentiæ flumine, ut interdum ſatis aſſequi non poſſim, num prodeſſe magis, quam delectare, & num Philologis magis, quam Philoſophis ſcribere voluerint.

rint ; cum inſigniores Rectores ſcholarum in id incubuerint omnes, in eoque maxime laboraverint, ut rerum veritatem nullis fucatam coloribus, nullis lenociniis expolitam, rectis, maſculis & acutis ingeniis ſpectandam exhibeant, quæ neque incultam dictionem horrent, nec abigi ſe a Theologiæ domo, quod Rhetores, & Grammatici non ſint, propterea arbitrantur. Legat, qui volet, Auguſtinum in libro de Doctrina Chriſtiana, & lacte magis, quam ſolido cibo veſci oportere eos omnes animadvertet, qui flores orationis atque ſplendorem anxii ita requirunt.

Quamquam Aquinatis oratio, non ſolæciſmos habet, non barbariſmos, non odioſa, non etiam latiniſſimis hominibus prorſus ingrata : nervoſa eſt, perſpicua eſt, & ut mihi quidem videtur, vocum proprietatem ferme ubique ſervat, & certis numeris fluit; quamobrem ille, eruditorum omnium conſenſione, Scholaſticos omnes in dicendo ſuperat. Quod ut intelligant omnes, præſtat quorumdam recentiorum teſtimonia hoc loco afferre, qui latiniſſimi exiſtimantur, & maximam laudem in ſcribendo tempeſtate noſtra adepti ſunt. Marcus itaque Antonius Natta ſic alicubi ſcriptum reliquit. *D. Thomas vir divino, & cæleſti ingenio, qui optima aſſidue meditatur, ac ea dilucidius cæteris profert*. Jacobus Brutus Clurienſis : *Stylum*, inquit, *habet D. Thomas clarum, atque facilem, nulla barbarie reſperſum ; & ſuos ita conceptus exprimit, ut altæ, profundæque materiæ quaſi ſenſim percipi poſſint*. Ludovicus autem Vives hunc in modum ait: *Simile eſt huic opus D. Thomæ Aquinatis ſecundæ partis Summæ, quod in duos Tomos dividitur, ſcriptoris de ſchola omnium ſaniſſimi, & minime inepti*. Cui Baſilius Zanchius ita ſubſcribit: *Ideo in primis Chriſtianæ fidei decreta, atque ſententiæ ex una aliqua e Summis, quas vocant, illuſtrium Theologorum, maximeque doctiſſimorum virorum judicio, D. Thomæ Aquinatis, quantum ſatis eſt, addiſcendæ ſunt ; quia eas clare admodum, & in brevi, & quod magni refert, recte, atque ordine, ac ſummatim inde colligere atque intelligere licebit*. At vero Eraſmus Roterodamus, qui non modo Aquinati, ſed reliquis omnibus utriuſque claſſis doctoribus, ipſique Chriſtianæ Reipublicæ aliquando iniquior extitiſſe videtur, ita de eo alicubi ſcriptum

Vid. lib. 1. de Deo.

Orat. 5. de laud. liter.

Libro 5. de trad. diſcipl.

Præfat. ad Notat. in omnes divinos libros.

Libro 2. de Rat. conc.

In cap. 1. Epiſtol. ad Rom.

ptum reliquit : *Thomas ad dicendum non fuit natura ineptus , ſi ſeſe perinde hic exercuiſſet , ut exercuit in Philoſophia , & in argumentando*. Et alibi rurſum hunc in modum : *Dictu mirum eſt , quam ſe torqueat hoc loco Thomas Aquinas , vir alioqui non ſuo tantum ſæculo magnus : nam, meo quidem animo, nullus eſt recentium Theologorum, cui par ſit diligentia , cui ſanius ingenium , cui ſolidior eruditio , planeque dignus erat , cui linguarum quoque peritia , reliquaque bonarum artium ſuppellex contingeret , qui iis , quæ per eam tempeſtatem dabantur, tam dextre ſit uſus*. Et hæc quidem Eraſmus , & recte ſane. Neque enim ea tempeſtate expolire linguam , ſed mentem , ſed animam cumprimis doctores nitebantur : nec habebat Thomæ ætas clariſſima illa latinæ linguæ lumina , Vallas , Adrianos , Theſauros , Promptuarios , quibus tamquam Logodædalis hæc noſtra in re latina magnopere juvatur ac promovetur ; ſed pulverulentos illos , & ita modo neglectos indices, atque auctores , quorum nomina perſequi ſupervacaneum eſt; Iſidorum præſertim, quem Alciatus eſſe omnino malum latinitatis auctorem dicit : ut mirari proinde nemo debeat , ſi ignoravit Aquinas unde articulus latina vox inflectatur *(6)* , & quid græca dictio Melote apud Paulum ſignificet , quemadmodum & apud Ariſtotelem unde inflectatur periodus , & quamobrem Ariſtotelis libri aliquot Acroamatici , reliqui Exoterici dicantur , putaveritque poſtremo a Samo Calabriæ urbe Pythagoram Samium nuncupatum fuiſſe. Quamvis & peti poterant hæc, & alia ab antiquioribus, qui de illis copioſe & diſerte ſcripſerunt. Sed interdum operi longo fas eſt obrepere ſomnum; & præterierunt veteres , atque recentiores præſtantiſſimos viros, quos ii tantopere ſuſpiciunt, his longe graviora. Cumque in interpretando Ariſtotele , & ſacris Bibliis illuſtrandis potiſſimum Thomas verſaretur; Ariſtoteliſque editio (7), quam interpretatur, barbara, aut certe inculta

(6) Conantur aliqui, nec omnino infeliciter D. Thomam etiam a minimis iſtis nævis, ſiquidem nævi vocari poſſunt, purgare. Legendus præ cæteris Piccinardus, qui multa collegit ad rem iſtam conficiendam non injucunda, Tom. I. de *approbatione S. Thomæ*, lib. 2. queſt. 7. articulo 1.

(7) Quænam illa eſſet operum Ariſtotelis verſio, qua S. Thomas utebatur, coniicit, nec leviter Echardus, Tom. I. *Scriptorum Ord. Prædicat.* pag. 390. & alibi. A quovis tamen ea prodierit verſio; procul dubio omnino barbara fuit, & inculta; quo vitio laboraſſe antiquas omnes Ariſtotelis verſio-

inculta admodum ſit (quamobrem & non eſſe illam Boetii viri erudirtiſſimi & diſertiſſimi plerique in linguis certo affirmant); & ſacræ Literæ nullo rationis flore, ſed ſimpliciſſimis verbis loquantur, ineptus ille atque imprudens fuiſſet, ſi latinæ linguæ ornamenta & cultum ſectari in illis ambitioſe voluiſſet. Pulchre enim Hieronymus alicubi ait: *Neque Hebræum Prophetam ediſſerens, oratoriis debeo declamatiunculis ludere, & in narrationibus, atque epilogis Aſiatico more cantare.* Sed quid poſtremo quod nec veterum ſtylum, ac dictionem cenſores iſti omnino probant, qui Thomæ dictionem vituperant, ac barbare illum loqui contendunt? Licet enim cum de Scholaſticis verba faciunt, veteres præconiis celebrent, nitidiſſimoſque & eloquentiſſimos appellent, ut hos noſtros videlicet elevent, ac etiam deprimant, aut certe (quod magis optarem) immemores eorum, quæ alibi dixerunt; excipiunt tamen eos interdum minus honorifice, ac magnorum virorum judicium nihili pendunt. Cyprianum profecto Auguſtinus ſuaviſſimum Doctorem, & merito vocat, Hieronymuſque illi orationis ſplendorem tribuit; at quomodo hunc, & alios complures Hiſpanus quidam, & tumidus cenſor accipiat, referam (quamquam non ſine ſtomacho) ita enim ait: *Tertullianus perturbatiſſime loquitur ut Afer. Cyprianus, & Arnobius ejuſdem gentis clarius, ſed & ipſi nonnumquam Afre. Auguſtinus multum habet Africitatis in contextu dictionis. Ambroſius non admodum latinus eſt, ut ſuavis; latinior eſt Hieronymus, niſi quod nonnumquam ſacrum ſe auctorem eſſe meminit, de re ſollicitus magis, quam de verbis.* Ergo Latinorum Patrum, qui primas in Eccleſia tenent, quorum ſcripta ſunt nobis ſacroſancta, nemo huic cenſori omnino latine, nemo omnino pure & eleganter loquitur. Sed & Theodorus Gaza Judicis ſententiam in Hieronymum, quod Ciceronianus eſſet, irri-

In cap. 3. Oſeæ.

Lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 40.

Epiſt. 13.

Ludov. Viv. libro 3. de trad. diſcipl.

verſiones, obſervarunt jampridem Franciſcus Patricius, Tom. I. *Diſcuſſionum peripateticarum*, lib. 11. Ludovicus Vives lib. 1. *de cauſſis corruptarum Artium*; & Cardinalis Beſſario in Epiſtola nuncupatoria ad Alphonſum Regem Aragoniæ, præfixa verſioni Metaphyſicorum. Nuper Euſebius Renaudot. *Diſquiſitionem* edidit apud Joannem Albertum Fabricium, Volum. 12. *Bibliotheca Græca*, lib. 6. cap. 5., *de barbarie in Ariſtotelis librorum verſionibus*, qua Diſquiſitione, & rem hanc erudite confirmavit; & occaſione arrepta impenſe commendavit acumen, atque induſtriam S. Thomæ, quod talibus dumtaxat verſionibus uſus, verius, aut ſaltem veriſimilibus, quam alii omnes antiqui, etiam Græci, Ariſtotelem frequenter ſit interpretatus.

irridebat. Alii hac noſtra ætate unum dumtaxat Ciceronem ſua lectione dignantur. Et mirabimur, cum Thomam barbare, vel etiam ſordide ſcribere locutuleii iſti contendunt, ſi nullo loco, nulloque numero habent?

Jam vero, cum innumerabilia ferme ſanctarum Scripturarum arcana, & præſtantiſſimorum Philoſophorum argumenta, quorum Patres non meminerunt, Scholaſtici ſubtiliter, accurateque explicaverint; non ſatis intelligo, cur antiquarii appellare eos ſimiliter aliquando Fontes, Parentes, Auctoreſque recuſant. Quamvis enim illa Eccleſiæ aurea ætas, quæ plenitudinis a Paulo nuncupatur, qua Dominus noſter verſabatur in terris, Apoſtolique Principes noſtri, & beatiſſima in primis Virgo, orbem ſic illuſtrarunt, ut ſplendidior numquam fuerit, quod nimirum omnibus donis refertiſſimus & cumulatiſſimus eſſet; nihilominus, Spiritu ſancto Eccleſiæ magiſtro aperiente, Thomas, & recentiores nonnulli melius res quaſdam aſſequuti ſunt, quam vel Baſilius, vel Hieronymus, vel veterum complures, quos iſti Fontes Theologiæ vocant, & nos minime repugnamus. Quod ſi dixerint, hos accepiſſe a Patribus ſemina eorum argumentorum, quæ Eccleſiæ feliciſſime explicarunt; ut propterea veteres ſoli auctores, & parentes Theologiæ dicendi eſſe videantur; nos illis viciſſim reſpondebimus, veteres ab Apoſtolis, & Prophetis monumentorum ſuorum & ſemina, & ſegetem omnem mutuatos eſſe; ut hinc vel maxime appareat, recentem hanc doctrinam, eſſe veteris Eccleſiæ doctrinam, ac proinde catholicam & probatam, non hæreticam, aut
Lib. de Anima cap. 14. ullo modo ſuſpectam. Nam Tertullianus novellitatem omnem (uſurpabo ejus verba) ſuſpectam haberi vult, & id eſſe verum, quod eſt primum, quodque poſterius eſt, adulterum eſſe: nimirum cum ita poſterius eſt (ut alii quidam ante nos recte intellexerunt) ut ab Apoſtolis, & Patribus originem ſuam non trahat. Sic enim & Dominus cum libellum repudii, quem lata lege permiſerat Mo-
Matthæi 19. ſes, non probaret, novandæ rei crimen a ſe depellit: *Ab initio*, inquiens, *non ſic erat*; ut ſcilicet ſignificaret, ſe vetus inſtitutum inſtaurare magis, quam ut novi quidpiam ſtatueret. Et hæc eſt catholicorum ſecuritas. *Quod ab*
Epiſt. 174. *Eccleſia accepi*, inquit Bernardus, *ſecurus teneo*. Et Patres

Synodi

Digitized by Google

Synodi Nicenæ ſecundæ; *Magnam ſecuritatem in eo collocamus, quod nulla recentia inventa ad rem noſtram probandam inquirimus; ſed Apoſtolicis, & Patrum doctrinis, Eccleſiaſticiſque conſuetudinibus acquieſcentes, his noſtra confirmamus.* Sed & Plato pulchre ait, *Argumentum inſcitiæ eſſe a ſapientibus diſſentire.* Proinde Socrates ironicos dixiſſe mihi quidem videtur, nam ſophiſtæ ac leviſſimi hominis magis, quam præſtantiſſimi Philoſophi vox illa alioquin fuiſſet: *Semper nova, ac pulchra ſtupeſco.*

Lib. 19. de Mendacio.

Plato lib. 2. de Philoſoph.

Jam vero, cum Thomas, cæterique Scholaſtici doctores antiquorum Patrum nomina, per quos in literis profecerunt, numquam diſſimulare ſoleant, quin potius honorifica crebro cum præfatione citent, ac tamquam mutuum reddere malint, quod Plinius admonet, quam in furto deprehendi; non ſatis id quoque intelligo, cur vel compilatores, vel fures, vel ingrati ab antiquariis hiſce dicantur. Etenim qui aliorum laboribus in re literaria ſua ſcripta locupletant, non continuo compilatores, aut rhapſodi propterea dicendi ſunt: alioquin ſcriptores pleroſque veteres, quos iſti maximis laudibus extollunt, compilatores quoque vocabimus. Nemo enim quidquam cum laude, aut ſcripſit unquam, aut docuit, qui non accurate inſpexerit, & in ſuum uſum prudenter converterit, quæ alii ante ipſum, iiſdem de rebus, ſcripta reliquerunt. Ut enim Spiritus prodit arcana ad utilitatem Eccleſiæ, ita pia hac mente Auctores catholici ſua volumina conſcripſerunt, ut cæteris omnibus pro viribus prodeſſent. Ergo quemadmodum fur ille non eſt, qui aut volente, aut connivente domino horti alicujus poma decerpſerit, floreſque legerit; ita compilator non eſt; nec peculatus accuſari recte poteſt, qui ſcriptis priorum, ſua quoque monumenta vel copioſiora, vel ornatiora reddit. Sunt enim doctorum volumina tamquam horti, ſunt eorum orationes flores, ſententiæ, poma. Quam multa, quæſo, Cyprianus a Tertulliano, quem propterea magiſtrum ſuum vocabat, mutuatus eſt? Quam multa Auguſtinus a Cypriano, ab Hilario, & ab aliis antiquioribus? At vero Hilarius, & Ambroſius ex Origenis, Hippolyti, atque Baſilii monumentis, ſuppreſſis eorum quoque nominibus (ut magis mireris) lucubrationes ſuas ſic plerumque refarciunt, ut Hierony-

mus

mus propterea graviter illos haud raro quoque notaverit. Sed & Hieronymus ipſe, nonne antiquorum volumina, quorum erat in Eccleſia aliqua laus, magno labore, & flagranti ſtudio perpetuo evolvebat? alioqui cur ita ſcribit? *Utinam haberem tractatorum omnium volumina, ut tarditatem ingenii, lectionis diligentia compenſarem.* Et alibi rurſum: *Operis mei eſt, & ſtudii multos legere, ut ex plurimis diverſos flores carpam, non tam probaturus omnia, quam, quæ bona ſunt, electurus.* Ergo recte dictum fuiſſe a quodam fateamur: *Nihil dictum, quod non ſit dictum prius.* Et indigna hæc eſſe, quæ præſtantiſſimis viris obiiciantur.

Epiſt. 65. *Epiſt. 75.* *Teren. in prolog. ad Eunuch.*

At vero cum Scholaſticorum diſputationes vituperant, propterea quod miro ingenii acumine, & ſolertia incredibili res illas, de quibus agunt, ad vivum uſque, quod ajunt, reſecare, & earum minutiſſimam anatomen facere ob eam cauſam ſolent, ut nihil non diſcuſſum, nihil non examinatum, atque explicatum relinquant; ac ob id vitiligatores, & anxios diſputatores appellant, Talpæ ſcilicet Aquilas, Cicadæ Formicas rident. Craſſi nimirum, & molles homines acutiſſimos viros, quos laudare debuerant, ipſi imprudentes, & inepti coarguunt; fitque, quod pulchre Quintilianus ait, *ut dum imperitis periti videri volunt, peritis imperiti videantur.* Solent enim acres illæ diſputationes, & accuratæ rerum inveſtigationes, quas in umbratili pugna graviſſimi homines exercent, & molles iſti improbant, non modo mel de petra, & oleum de ſaxo duriſſimo excutere, verum etiam ingenia excitare, erigere, acuere, & fæcunda facere; ac præterea ea efficere gratiora ſtudioſis, quæ didicerint. Ut prætermittam, ſolere eos quoque, qui diſputationibus, cæteriſque Scholaſticorum ſtudiis, & exercitiis operam diutius non dederunt, cum primum cum ejuſmodi ſcholarum cultoribus congrediuntur, dum in notiſſimo alioquin ſibi argumento verſantur, vel verba inaniter differendo profundere, vel prorſus elingues effici; in abſurdaſque ſententias, & manifeſtas repugnantias, tamquam vertigine circumactos, ab eiſdem quaquaverſum rapi, ita ut nec recte argumentari, nec probe reſpondere, nec methodo partiri, nec ex arte colligere, nec demum quid concedendum, quidve negandum

Lib. 11. Inſt. cap. 1.

dum ſit intelligere videantur. Quamobrem ad imperitorum aſylum, hoc eſt, ad probra, & ad contumelias ſeſe miſeri, & infelices e veſtigio vertunt; antagoniſtaſque ſuos, ſophiſtas, litigioſos, ac vitiligatores tamquam furiis agitati, doctis ſpectatoribus ridentibus, vocant.

Sed eſto, quoſdam Scholaſticos quæſtionibus inutilibus, quas Paulus improbat, plus juſto haud raro immorari, ac detineri; veritaſque, eorum nimiis altercationibus, non ſemel, aut ſeſe abdat, aut etiam evaneſcat. Eſto, ſint aliqui ex eis, qui in utramque partem Carneadis, cæterorumque Sophiſtarum, & Rhetorum more diſſerentes, eandem veritatem vel labefactare videantur, vel ut ita dicam, ſub judice manere compellant; quid hæc ad D. Thomam, qui nihil non neceſſarium, non utile, non Theologo, aut Philoſopho dignum, pulcherrimo ordine, magna gravitate, & incredibili judicio ubique diſputat? ubi non ille diſertis, & perſpicuis verbis ſententiam ſuam dicit? ubi cauſas non aperit, atque rationes, quibus ab hac magis, quam ab illa parte ſtare veritatem exiſtimat? Temere igitur, & non citra calumniam, Scholaſticorum quorumdam vitia ſic exagitari ſolent, perinde quaſi ad Sancti Thomæ graviſſima ſcripta, aut in univerſum ad Scholaſticos omnes pertineant. Quamobrem & Apoſtolica ſedes ſolius Thomæ doctrinam publico edicto probavit, Eccleſiæque ſectandam tradidit; ejuſque nomen, & auctoritatem poſteriora Concilia Œcumenica perpetuo venerata ſunt, & parem cujuſvis veterum Patrum auctoritati fecerunt (8). Certe in hac Tridentina Œcumenica Synodo, quam, cum hæc ſcribimus, frequentiſſimam celebramus, nemo Patrum eſſe videtur, cui religio non ſit, cum de fidei dogmatibus agitur, a Thomæ ſententia vel latum unguem recedere, aut ab illa provocare; ut, & a veteribus

Quo tempore & ubi auctor hæc ſcripſerit.

(8) Vielmium heic temeritatis accuſat Petrus a Valle Clauſa, Diatrib. 1. & 3. *de Immunitate Cyriacorum*, inquiens: *Cedo, quæ ſunt illa Æcumenica Concilia S. Thomam Patribus æquantia?* Jamdudum noſtrates hæc in cæcutientis Petri oculos Concilia ingeſſerunt, prolixius demonſtrantes, quanti ſemper Concilia Æcumenica poſteriora S. Thomæ doctrinam fecerint, ejuſque in Decretis ſuis condendis rationem habuerint, ſicut & veterum Patrum habere ſolent. Videſis P. de Graveſon, Tom. VII. Operum, noviſſimæ editionis Venetæ, in *Triade Diſſertationum*, Diſſertat. 2. & Natalem Alexandrum in Panegyrico in laudem S. Thomæ, ad calcem Tom. VII. *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, edit. Venetæ, an. 1730. & P. Ant. Touron *Vie de S. Thomas*, liv. 5. chapp. 6. & ſeqq. Quamquam & hoc unum ſufficere debuiſſet Petro teſtimonium Vielmii, teſtis oculati Concilio Tridentino præſentis.

bus Patribus nihil minus Aquinas habuerit, & Scholaſtici omnes Principem hunc ſuum receperint modis omnibus ornatiſſimum.

Vide adhæc quam incaſſum antiquarii iſti Thomæ alumnos aggrediuntur, cum Scholaſticos quoſdam in pleriſque Religionis noſtræ dogmatibus erraſſe dicunt. Id enim nos nequaquam inficiamur. Quinimmo patenter ſubſcribimus Gerſoni in brevi illa ſua admonitione, in qua de Hubertino a Caſali loquitur, & alias quoque non ſemel, cum eorum quaſdam poſitiones minus ſobrias accu-
3.d.20.q.2. & 4.d.15.q.1. ſat. Ac præterea Durandum improbamus, cum Dominum, & Salvatorem noſtrum, vera ſatisfactione pro nobis
4.d.20.q.26. q.3. ſatisfeciſſe Patri negavit; & cum ſatisfactiones Sanctorum
4.d.26.q.3. ſupererogatorias Eccleſiæ theſauro molitur auferre; quemadmodum & cum ait, matrimonium Chriſtianum non eſſe Eccleſiæ Sacramentum preſſius, ac proprie ſumptum; & cum demum ſentire quibuſdam videtur, originale peccatum eſſe quemdam in nobis reatum, ut vocant, magis quam aliquam culpam. Sed & diſplicet nobis Gregorius
2.d.30.q.2. & 3. Ariminenſis, ubi opera noſtra improbat, quæ pœnarum,
2.d.26.q.1. & d.29.q.1. & ſuppliciorum metu agimus; ſicut etiam cum arbitratur, infidelium præclara geſta, quæ nos etiam probamus, Domino eſſe inviſa, & vere peccata, & cum vult ancillam Agar cum Sara in domo Abrahæ rixantem; hoc eſt, concupiſcentiam, quæ in nobis eſt, & rationi adverſatur, quæ ad optima quæque impellit, originalem eſſe, quam omnes communi lege contrahimus, culpam. Nec aſſenti-
4.d.23.q.1. ri D. Bonaventuræ poſſumus, ubi docuit Apoſtolos inſtituiſſe nonnulla Eccleſiæ Sacramenta, quod voluiſſe Lombardum ipſe, & alii plerique arbitrantur. Neque dubitamus opinionem illam eſſe omnino explodendam, quam
1.d.17.q.1. Dionyſius Ciſtercienſis, vir quidem, qui non abſurde interdum meditatur, fruſtra defendit; neminem ſcilicet, qui gratia, & charitate, quæ noſtra eſt juſtitia, careat, poſſe aliquod Dei mandatum, quoad ſubſtantiam operis
1.d.1.q.1. dumtaxat, ut ajunt, ſervare. Sed & Olchot inſignis alioquin doctor, pernicioſe, meo judicio, errat, cum fidei actum liberum eſſe negat. Neque recipio, quia nec Eccleſia catholica recipit, prodeſſe illis; qui in inferno ſunt, Eccleſiæ ſuffragia, vel ad aliquam ſuppliciorum mitigatio-

nem,

nem; quod Auguſtinus de Ancona, ſub correctione tamen, & ut ipſe ait, ſine præjudicio, opinatur; vel etiam ad omnem condonationem: quod & alii quidam Alberto, & D. Thoma antiquiores, magnique nominis temporibus illis in ſcholis exiſtimaverunt, & Marcus Epheſinus Epiſcopus pertinaciter, quemadmodum & alia minus catholica dogmata, Patrum ferme memoria defendebat. Sed & Adam nonne hallucinatur, cum (referente Oyta) aſſerit, nihil ſibi Dominum noſtrum, dum hanc vitam in terris nobiſcum viveret, promeruiſſe; & Sanctos, qui Deo feliciſſime fruuntur in cœlis, etiamnum vere nobis mereri? Neque placet, quod Alexander de Ales, doctor alioquin graviſſimus, exiſtimavit, uberiorem gratiam, majuſque divinæ charitatis incrementum ſibi eum acquirere, qui ſub utraque ſpecie Euchariſtiam ſumpſerit, quam qui ſub altera ſola. Sed & Magiſtri quædam placita is doctor tueri conatur, quæ communi ſunt jamdudum conſenſu a clariſſimis viris exploſa; præſertim ubi de illis loquitur, qui ſolo Baptiſmo Joannis initiati fuerant; & Alberti Magni, doctoris alioquin eminentiſſimi, opinionem improbamus, cum in ſuo tractatu de Miſſa (9) expedire arbitratur, ut diſpenſaretur in terris, ubi vini inopia eſt, ut Sacerdotes Corpus ſine Calice conficere poſſent: quod & indultum fuiſſe aliquando Norvegiis Volaterranus, neſcio qua fide, ſcribit. Nec Franciſcum de Mayronis recipimus, cum de Indulgentiarum theſauro a communi catholicorum conſenſione recedit; & Joannem Scotum non ſequimur, cum de lumine gloriæ a Thoma diſſentire videtur; quemadmodum quoque, cum exiſtimat, purum hominem Dei gratia præditum potuiſſe, Deo (de abſoluta tamen potentia) ita volente, pro peccatis ſatisfacere; neque enim ſatisfactionis vim revera eſt in integrum aſſequutus: ut alias ejus opiniones minus ſobrias conſulto prætercam, quas vel improbavit, vel certe prorſus ignoravit veneranda Patrum noſtrorum antiquitas, & Gerſon in illa admonitione ſubindicat; ut me impudentiæ, & levitatis Bargii recentioris ejus interpretis pudeat, qui doctorem hunc irrepre- hen-

De poteſtate Papæ, q. 34. art. 4.

In lib. de Purgatorio contra Latinos.

In 1. q. Prologi.

In Summa Theol. par. 3.

Lib. 7. Geogr. vet.

4. d. 19. q. 2.

3. d. 14. q. 1. & 4. d. 49. q. 2.

4. d. 15. q. 1.

Ceſſiderat e ſaviſſimo errori ortus eſt, inſpectis auctoribus, totum, quod

E

(9) Invenire nequaquam potuimus in Alberto Magno opinionem, quam heic Vicimius eidem attribuit, imo *de Sacramento Euchariſtiæ*, diſt. 6. Tract. 2. cap. 1. contrarium docet, atque propugnat Albertus ex profeſſo.

legeris amare, ac ſine judicio conari defendere quidquid inveneris.

henſibilem, doctrinamque ejus ſanctam, atque infallibilem, editis nuper, & divulgatis in Patavino Gymnaſio in primum Scoti Commentariis, appellavit. Neglexit plane aureum illud præceptum hoc Silicernium: *Nequid nimis*. Eo factum eſt, ut imprudens, quod ſolius Verbi Dei proprium eſt, doctrinæ hominis temere tribuerit: quod nemo catholicus profecto auſus eſt aliquando facere. Nec, ut ego quidem ſentio, Joannes Scotus, ſubtilis & egregius doctor, & qui inter claſſicos merito ſplendidum locum jamdudum obtinuit, interrogatus, de ſe ipſo aliter reſpondiſſet, atque D. Auguſtinus in 3. de Trinitate, vere non minus, quam modeſte de ſe ſcriptum reliquit: *Negare*, inquit, *non poſſum, nec debeo, ſicut in ipſis majoribus, ita multa eſſe in tam multis opuſculis meis, quæ poſſunt juſto judicio, & nulla temeritate culpari*. Porro Gulielmi Ocham errores inſigniores plures ſunt, quam ut eos recenſere hoc loco poſſim. Et denique Theologiæ tyrunculi probe norunt, etiam ipſum Magiſtrum, Scholaſticorum omnium Coriphæum, in pluribus locis a poſterioribus communiter repudiari. Non negamus ergo Scholaſticos tamquam homines alicubi eſſe lapſos, & ſæpe meliora poſſe ab eis deſiderari: ſed nunc Aquinati tantam gratiam Spiritum ſanctum impartiiſſe contendimus, ut nullibi aut contra fidem, aut contra bonos mores erraſſe videatur. Quamobrem & hoc quoque præter cæteros conſequutus eſt, ut nullus inſignis auctor hucuſque extiterit, aut celebrioris in Eccleſia nominis (Rabulam Pariſienſem illum, & indoctos quoſdam illius obtrectatores, & hæreticos nihil moror) qui vel oſtenderit docuiſſe ille ortodoxæ fidei contraria, vel dogma illius aliquod per Eccleſiam, ſolemni adhibito judicio, aliquando fuiſſe exploſum; ut fruſtra iſtorum errores quis proferat, cum de eo verba facit: ille enim recte ſemper de rebus hiſce, Deo Optimo Maximo illum protegente, & ſenſit, & docuit; & quod animadvertere omnes profecto cuperem, etiam ſuis pulcherrimis ſcriptis, tanquam extento brachio, & de excelſo loco clamans, cæteros ne in iſtos caderent errores, quos commemoravimus, patenter ac diſerte antea ſubmonuit. Quamquam, quod ad reliquos attinet, nemo eſt, qui ignoret erraſſe illos humana quadam imbecillitate, & rerum ignoratione, atque oſci-

oſcitantia, quæ vel invitis obrepere frequenter ſolet ante Gymnaſiorum cenſuram, ante Conciliorum, & Romanæ ſedis judicium; non animi elatione & improbitate, ſicuti hæretici faciunt, *qui vel per ſui placentiam malam:* (utar enim D. Irenæi verbis) *vel per inanem gloriam, vel per cæcitatem & malam ſententiam ab Eccleſia temere & impie recedunt, & præterquam oportet colligunt:* Proinde cum ſive conſulto, ſive inconſiderate aliquid indocte, perniciofeque pronunciaverint, nequaquam tueri illud & propugnare pertinaces, etiam crebro admoniti, deſinunt. *Malunt*, inquit, Auguſtinus, *perverſis vocibus veritati reluctari, quam confeſſis erroribus paci reſtitui.* Contra vero Scholaſtici omnes, viri laudatiſſimi, ſcripta omnia ſua, opiniones, placita ultro humileſque Eccleſiæ probanda, ſeu improbanda obtulerunt, & nobiſcum ſemper manſerunt; atque ſubire eorum judicium minime recuſarunt, quibus Spiritus ſanctus ita diſſerere in Eccleſia poſtea dederit, ut & hos audire, & de mandato Pauli ſedere, & conticeſcere priores ipſi deberent, exiſtimantes cum Gregorio Nazianzeno, *Satius eſſe bene vinci, quam reluctante ſpiritu vincere:* ut nemo non videat, quantum inter illos, & hæreticos interſit, qui turgidi & arrogantes, certiſſimos ſe eſſe prædicant ſe proferre veritatem, ac purum & putum Verbum Dei, ac quorumcumque hominum judicium detrectant & repudiant; tamquam videlicet ipſi Angeli beati ſint, qui in Verbo videant omnia. Non igitur propterea quod interdum Scholaſtici turpiter, ut illi volunt, erraverint, illos omnes abſque delectu contemnere, aut maledictis proculcare quiſpiam debet. Quinimo evoluere ego eorum ſcripta accurate ſoleo; nec dubito illa ſæpe, tanquam ſplendidiſſima ſidera, caliginem & tenebras hæreticorum diſcutere, & ſemitas, quibus facili ac tuto itinere cœlum poſſimus conſcendere, catholicis aperire. Etenim nec veterum aliquem ita felicem & beatum proferre facile fuerit, qui nuſquam lapſus ſit, nuſquam offenderit. Auguſtinus ſuperius diſertis verbis hoc nos edocuit; & Hieronymus, quem ego multis nominibus præter alios quamplurimos veneror, & libentius lego, plus auſus ita ſcribit: *Quis mortalium aliquo errore non tenetur? quem hæreticorum & falſorum dogmatum venena non*

Lib. 4. c. 43.

Lib. 2. de Baptiſmo cap. 12.

Apologet. 1.

Lib. 2. adv. Pelag.

Epiſt. 65. *maculant?* Et cum de Origene alibi loquitur, ſic ait; *Erraverunt in fide tam Græci, quam Latini omnes, quorum non neceſſe eſt proferre nomina, ne videamur non ſui merito, ſed aliorum errore defendere.* Non hic, OPTIME JOANNES, faciam, ut Patrum meorum pudenda detegam, quod factitare hæretici ſolent, qui doctorum errores, tamquam porrecto indice, oſtendunt; nec eo profecto conſilio, quo Lib. 1. de Abrahām cap. 6. D. Ambroſius ait, ſanctam Scripturam vitia Patriarcharum prodidiſſe, ut videlicet ea caveremus; ſed magis ut exprobrent, & in contemptum adducant; eorumque auctoritatem, qua noſtram, hoc eſt, orthodoxam doctrinam confirmare ſolemus, ſceleſti & nequam homines diminuant. Eviciſſe ſatis in præſenti erit, recentiores catholicos, qui multis modis Eccleſiam juverunt, non ea de cauſa ſane, quod a veritate aliqua interdum oſcitanter, ut fit, aberraverint, eſſe vel contemnendos, vel cum hæreticis reponendos. Nam Hieronymus alicubi Cyprianum, & Hilarium excelſas eſſe arbores in ædificio Eccleſiæ ait; Epiſt. 7. & ad Letam ſcribit: *Cypriani opuſcula ſemper in manu teneat; Athanaſii Epiſtolas, & Hilarii libros inoffenſo decurrat pede;* quamvis in omnibus nequaquam ſibi Hilarius, & Cyprianus, quemadmodum neque Eccleſiæ, probarentur. His addo, Scholaſticos eſſe ferme diligentiſſimos, non modo in hæreticorum impuris blaſphemiis, & pernicioſis dogmatibus detegendis, atque etiam confutandis, quam ob cauſam graviter eos hæretici metuunt, & acri odio inſequuntur, verum etiam & in ſcriptis catholicorum examinandis; & cum deprehendiſſe ſibi quidpiam aut ineruditum, aut minus ſobrium viderint, extemplo indicant, nec non, ubi opus fuerit, rationibus improbant & explodunt: ut Rempublicam Chriſtianam, ſi non in omnibus ſinguli, plane in pluribus omnes illuſtraſſe pro viribus, & juviſſe mihi maxime perſpectum jamdudum eſt & exploratum.

Sed quorſum hæc, rogo? neque enim Scholaſticorum omnium cauſam defendendam hoc loco ſuſcepi, ſed eorum Principis D. Thomæ dumtaxat. Nam brevi quadam apologia, &, ni fallor, chriſtiano homine non indigna, Scholaſticorum obtrectatoribus tunc reſpondi, cum ampliſſimi Senatus Veneti juſſu in Patavino Gymnaſio Theologiam

giam publice interpretari decem fere ab hinc annis inciperem, quæ etiam paulo poſt emiſſa eſt. Ex ea plura ſumere quivis pro arbitrio poterit ad ſcholaſticæ doctrinæ propugnationem.

Scripſit & poſt nos Melchior Canus lib. 8. locorum communium erudite & ornate.

Cæterum egregie hallucinantur, qui de Thomæ monumentis detrahi quidpiam arbitrantur, quod celeberrimi plerique doctores ea oppugnare videantur: ut enim *Philoſophia*, teſte Boetio, *contradictione profeſſorum crevit*; ita hujus Auctoris doctrina magnorum virorum oppugnationibus ſolidior, nitidior, & auguſtior in dies magis ac magis effecta eſt. Non potuit fulgentiſſimus Sol ſophiſmatum, & argumentorum nebulis obſcurari: non potuit eminentiſſima hæc, & adeo ſapienter exſtructa turris turbinibus ventorum vel everti, vel concuti. Pugnarunt pro Thoma Ægidius, Herveus, Joannes Capreolus, Thomas Cajetanus, & quamplurimi doctiſſimi viri, qui ex uberrimo ejus fonte largius præter reliquos antea biberant, atque ex ejuſdem Schola, tanquam ex equo Trojano milites fortiſſimi, prodierant: qui omnes id etiam magna cum laude ſunt conſequuti, ut D. Thomæ verbis, adverſariorum arietes & cuniculos evertant, atque confringant. Ac quemadmodum negligentiæ, & inurbanitatis cujuſdam redargui oppugnatores poſſunt, quod non perſpecta tota lege judicaverint; ita propter eminentem, & plane angelicam doctrinam Aquinas laudari, quod multo antea prævifa adverſariorum ſpicula aut eluſerit, aut declinaverit, aut certe in eos retorſerit. Sed D. Hieronymum, quæſo audiamus; ſic enim in ſecundum Epiſtolæ ad Titum caput ediſſerit: *Quod autem ait:* ſermone irreprehenſibili, *non quod ullus tantæ facundiæ & prudentiæ ſit, ut a nemine reprehendatur: reprehenduntur quippe & Apoſtoli, & Evangeliſtæ ab hæreticis, & gentibus; ſed quod nihil reprehenſione dignum dicat, aut faciat, licet adverſarii ſint ad reprehendendum parati*. Ergo, D. Hieronymo teſte, ne ipſis quidem ſacris literis Dei oraculis defuerunt oppugnatores, & contradictores; & quidem non ſtolidi, aut obtuſi, ſed ingenio excellenti præditi, in linguis egregie docti, oratores eximii, & ſcientiarum omnium inſigni admodum panoplia (ut magis mireris) inſtructi; quales fuiſſe Celſum, Libanium, Maximum, Por-

lib. 1. de Phil. Conſolat.

phyrium , Julianum monumentis Eccleſiaſticis proditum eſt: ut hæreticos omittam , de quibus dicendum profecto eſſet , voluiſſe diſcerpere illas, aut etiam abolere magis, quam oppugnare. An vero de earum ſanctitate , & numine quidquam detractum fuiſſe arbitrabimur? minime certe! Ergo ſervus fidelis, qui Domino ſuo nec major, nec felicior eſſe debuit , accuſandus propterea non eſt , aut minoris æſtimandus , quod celebres viri ab illius ſententia quandoque receſſerint. Qui profecto , ſi Thomæ non in omnibus ſubſcripſerunt, & cum eo non ſunt, non tamen inter ſeſe ubique conſentiunt; quinimo acrius multo, & pertinacius inter ſe in umbratili campo literarum pugnant , quam cum Thoma ; ut quod Hilarius dixit , *Bellum hæreticorum eſſe pacem Eccleſiæ* , nos dicere ſimiliter per quamdam accommodationem poſſimus, horum doctorum bellum Thomæ victoriam eſſe. Quamquam præterea videas eorum complures ſemper a Thoma ſtare , fortiterque pro eo pugnare. Cum enim Joannes Scotus Aquinatis placitum aliquod, multis armatus argumentis, invadit, tunc Ariminenſis , Durandus , Henricus , Aureolus pro Thoma illi obviam eunt : ac rurſus ubi Durandus , vel Henricus, vel alius quiſpiam inſurgit, ibi Joannem Scotum , & reliquos confertim ferme & agminatim partes Thomæ tueri, & in illius caſtris ſua ſponte militare conſpicias ; ſolereque doctrina illius , tamquam umbone ferreo tecti, ſophiſmatum acutiſſimas ſagittas frangere , adverſariorumque phalanges profligare , & ſternere , cum ipſe Sanctus Doctor interea, tamquam bos laſſus, ubique fortius pedem figat ; ut proinde Joannes Picus, cognomento Phœnix, prudenter ſibi, in reſpondendo objectionibus, robur & fortitudinem Thomæ optaverit: Sed quid, JOANNES DOCTISSIME, dicturi hi critici ſunt, ſi quomodo eruditi quidam , & naris , ut ajunt , emunctæ pluribus perſuadere conantur , clariſſimi ii doctores , qui nequaquam tenui figmentorum caligine volumina Thomæ obſcurare videntur, ſenſu & intelligentia cum illis omnino conveniunt? Nam Joannem Scotum virum in diſputando acerrimum, & quem crebro & non diſſimulanter in Thomæ placita invehi plerique omnes credunt , idem Joannes Picus verbis tantummodo, non rebus, aut ſententia diſcre-

Lib. 7. de Trinit.

Apolog. quæſt.

In Concluſ. Paradoxis.

ſcre-

Digitized by Google

ſcrepare ab illo dudum dicebat; (quod ego verum eſſe pleriſque in locis nequaquam dubito) quamobrem, & eorum conciliationem atque concordiam orbi ſe exhibiturum, vita modo ſuppeteret, plane confirmabat, ac pollicebatur. At vero, utcumque res ſit, ego pro mea in Scotum, Durandum, Ariminenſem, Henricum, & claſſicos alios viros pietate & reverentia, ita de illis exiſtimo, ſi ſuam rogarentur ſententiam, ſic D. Thomam eſſe alloquuturos, quemadmodum olim Hieronymus Auguſtinum eſt alloquutus: *Nos inter nos eruditionis cauſa diſſerimus, cæterum æmuli, & maxime hæretici, ſi diverſas inter nos ſententias viderint, de animi calumniabuntur rancore deſcendere; nobis autem decretum eſt te amare, ſuſpicere, colere, mirari.* Et ego quidem ſic ſentio, & ſi critici diutius mihi eſſe moleſti pergant, urgebo eos profecto, ut auctorem aliquem nobis proferant, qui ita beatus fuerit & felix, cum antiquioribus, tum vero recentioribus temporibus, ut per omnia, ut Paulus loquitur, omnibus placuerit, & herbam ultro illis, ut dicitur, porrigam. Homerus, quem fontem ingeniorum Græciæ, Plinius, eruditique omnes merito nuncupant, obtrectatorem Zoilum devitare non potuit; & Naturæ, quæ inculpatiſſima eſt, accuſator Momus non defuit. Sed quid? nonne Philiſtæi Patriarcharum puteos, quos eximia ducti charitate ſedulo nobis eorum liberis effodere conabantur, improbo quodam & veſano labore obſtruebant? Hoc vero quid aliud dictu eſt, quam quod hæreticis nulla umquam religio futura eſt, aut obſtruere, aut certe inquinare ſanctorum doctorum lucubrationes & monumenta? Quamquam certe ab horum claſſe illos auctores ſcholaſticos eximo, quos commemoravi; ſed nihilominus ipſi quoque aut omnes, aut plures ad gloriæ faſtigium contendebant, & proinde nemo recte mirabitur, ſi in Aquinatem non diſſimulanter aliquando ſcribunt. Etenim nullum eſt corpus ſine umbra; & ut D. Hieronymus ait, *nulla ars eſt ſine æmulis.*

Epiſt. 94.

Hiſt. nat. lib. 17. c. 5.

Prœm. in cap. 2. Oſeæ.

Sic figulus figulo, fabro faber invidet alter,

inquit Heſiodus, & ſi illum Nazianzenus non laudat.

Epiſt. 44.

Jam vero ſententias illas delectas, quas articulos Pariſienſes in ſcholis vocant, Picus ille nequaquam tranſire Alpes dicebat: & , ſi verum amamus, recentes ejus Aca-

In Apolog. diſput. de deſcenſu Chriſti ad inferos.

demiæ doctores quædam non uſque adeo Chriſtiano reliquo orbi probata, & cum antiquiorum magiſtrorum decretis conſentanea, non modo nuper receperunt, verum etiam eos, qui in illa Academia ad graduum faſtigia promoveri velint, adhibito jurejurando recipere cogunt. Quamquam præterea articuli, quos refractarii noſtri crebre commemorant, doctrinam (10) hanc minime improbant, ſicut copioſe non minus, quam luculenter ſcriptores plerique non obſcuri nominis, ſuis in locis oſtendunt; & nunc non citra ruſticitatis cujuſdam notam obiici nobis poſſunt. Cum enim a Stephano illius præclaræ univerſitatis Cancellario, & Pariſiorum Epiſcopo in veritatis gratiam rejecti & penitus antiquati jamdudum fuerint, & cum Apoſtolica ſedes, & catholicus orbis reliquus, tanquam ſenatus conſulto, Thomæ doctrinam comprobaverint, & receperint, quid eſt, rogo, cur vel illa Pariſienſium placita nobis rurſus quiſquam obiiciat? aut, qui doctrinam hanc oppugnant, quaſi univerſitatis illius præſidio freti, receptui canere nolint? *Orbis certe major eſt Urbe*.

Jam vero neque improbare, ac vertere vitio Doctori præſtantiſſimo aliquis debet, ſi de illis ipſis rebus in pluribus locis ſuorum monumentorum accurate & ſplendide etiam verba facit. Etenim &, *quod glorioſe dicitur*, D. Ambroſio teſte, *ſæpe repetendum eſt*, quod a Platone, tamquam vetus adagium, non uno loco celebratum fuit; & *Dial. 6. de leg.* muſicos noſtra ſponte crebro rogamus, ut cantilenas, quæ ſemel oblectaverint, iterum ac tertio repetere non graventur: ut proinde nec Patri huic ſanctiſſimo ſuccenſere aliquis merito poſſit, qui optima ubique & glorioſa profert; quinimo tenemur omnes multas ei gratias habere, quod illa

(10) Legendi hac de re Apologiſtæ S. Thomæ, ejuſque interpretes, præſertim ad quæſt. 50. & 52. primæ partis *Summæ* Theologicæ. Caſimirus Oudin, alias S. Thomæ hoſtis juratus, Tom. III. *Comment. de Script. Eccleſiaſt.* ad ſæculum XIII. Diſſertatione *de Scriptis S. Thomæ*, cap. 25. acriter invehebatur in Petrum de Alva, & Aſtorga, *articulos* iſtos Pariſienſes S. Thomæ objectantem, atque inter cætera de Petro illo ajebat: *Donec in individuo illas omnes propoſitiones adduxerit, easque in S. Thomæ ſcriptis (quod numquam præſtabit) oſtenderit, impudens, atque impoſtor, ac merito quidem apud æquos rerum æſtimatores appellabitur*. Graviter quoque in re præſenti admonebat Abbas Fleurius, *Hiſtor. Eccleſiaſt.* Tom. 18. liv. 87. pag. 210. editionis Bruxell. an. 1716. *Entre tant de propoſitions condamnees quelques unes ... ne le ſont que parcequ' elles etojent contraires au prejugé du tems.* Decretum porro ſolemne a Stephano III. Epiſcopo Pariſienſi de *conſilio Facultatis Theologicæ* ad eam revocandam *Articulorum* condemnationem latum, exhibetur a Cæſare Egaſſio Bulæo, Tom. IV. *Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis*, ad ſæculum ejus VI. & an. Chriſti 1324.

illa ipſa, noſtri gratia, hec eſt, in utilitatem & profectum noſtrum frequenter ediſſerat. Ad hæc, non omnia, quæ ab omnibus conſcribuntur, a cæteris leguntur, aut in omnium manus deveniunt, ſicut & D. Auguſtinus etiam animadvertit; nec, ut ego quidem ſentio, omnia, quæ ab uno eodemque auctore, polygrapho præſertim atque fœcundo, qualis hic noſter eſt. Quamobrem ut expedire vehementer ille ipſe Auguſtinus, cæterique cum eo viri ſapientes exiſtimant, plures a pluribus, eiſdem quoque de rebus & quæſtionibus libros edi; ita ab uno eodemque eadem ſæpe repeti, modo prudenter id fiat, eximiæ cuidam in Chriſti Rempublicam charitati adſcribere ſtudioſi omnes debent: & Paulum non piguit Philippenſibus eadem denuo ſcribere, quæ adjudicabat fore illis neceſſaria. Rurſum, cum variis gravibuſque de cauſis multa volumina Thomas ediderit, omnino facere non potuit, cum ea, quæ inſtituiſſet, exequi, & perficere vellet, quin eadem argumenta, eaſdemque ſubjectas materias ſæpe tractaret: quod etiam viderat ſuperiores omnes factitaſſe, qui ejuſdem generis plura ſcripta elucubraverant. Quamquam profecto omnes non eadem exacte ubique tractant, non eodem ſtylo, nec pari facundia, aut dicendi arte. Quapropter, ut ſunt varia hominum ingenia, varium quoque & diverſum judicium de eodem argumento vario modo tractatum, gigni, & effici haud raro perſpicimus, nec non & de ejuſdem auctoris ſcriptis, ingenio, & ſoliditate. Quid igitur, quæſo, eſt, cur in uno Aquinate diſpliceant hæc, quæ in multis auctoribus laudantur? præſertim vero cum ea ſic expenderit, ac ita quaquaverſum examinaverit, ut mira quadam arte ac dexteritate, aut omnino novis, aut certe auctis & illuſtratis rationibus tamquam nova proferat. Neque enim eiſdem rationibus ubique ac perpetuo nititur, quomodo nihilominus Hieronymus, Athanaſius, Cyrillus, Hilarius, Auguſtinus, graviſſimique multi Theologi in ſuis ſcriptis niti conſueverunt; ut hinc quoque amplitudinem hujus doctrinæ, & cœleſtium theſaurorum copiam, quam Deus huic Doctori præ multis impertiit, intelligere, & venerari quilibet poſſit. Sed & cum in uno volumine pauciores ac magis preſſas rationes, quam in alio ad rem aliquam vel ſtatuendam, vel explodendam profert, deprehendi

Lib. 1. de Ordine.

hendi ego eas eſſe etiam ſolidiores & efficaciores. Sic enim in Summa ſubtilius preſſiuſque, & veluti quibuſdam punctis ea attingere ſolet, quæ in Quæſtionibus Diſputatis, inque libris contra Gentes, & alibi quaſi in lineas, & ſuperficies, corporaque extendit; & ſunt nihilominus, ut frequentius, graviora, ac magis nervoſa, ut certe non ægre admodum tria illa differendi genera, quæ Homerum in Uliſſe, Menelao, & Neſtore expreſſiſſe quidam ſcripſerunt, in Thomæ voluminibus miro & plane divino hominis ingenio expreſſa ſit reperire; magnificum nimirum & copioſum in Quæſtionibus diſputatis, in ſententiis, atque in libris adverſus Gentes; ſubtile & ſtrictum in Summa, & in Miſcellaneis, quæ Quodlibeta vocantur; mixtum & moderatum in pleriſque ejùs commentariis, & libellis. Præterea, quæ videntur eædem prorſus rationes eſſe, eiſdemque niti mediis, ego non uno in loco animadverti, & evici eſſe illas ampliores & magis univerſales, quam in alio: quod feciſſe Ariſtotelem in Tranſphyſicis, Averroes quoque ſubtiliter olim vidit. Habet itaque lector, unde novus ſemper ac recens ad Thomæ volumina, & loca luſtranda, inter ſeque conferenda accedere poſſit; & proinde unde faſtidium, ſi quod falſa imaginatio afferat, facile depellat.

Cumque plerique omnes perſpicuitatem & lucem clariſſimo huic Doctori miro conſenſui præter cæteros ferme recentiores tribuant, conſentaneum eſt, ut nequaquam ipſius vitio, ſed vel rerum magnitudine, quas expendit, vel eorum tarditate, qui legunt, obſcurus quibuſdam eſſe videatur. Sic enim Hieronymus alicubi ait: *Obſcuritas aut rerum difficultate, aut magiſtri imperitia, aut diſcentis nimia tarditate naſcitur*. Atqui Thomam fuiſſe imperitum magiſtrum, ne ipſi quidem adverſarii, ut ego plane arbitror, credunt. Etenim arte, methodo, judicioque incredibili ubique progreditur, propriiſque, & receptis verbis, quod & Ariſtoteles monet, non vero obſoletis, aut omnino novis, aut impropriis utitur; ut lucem ubique lectoribus, & ſtudioſis voluiſſe afferre patenter declaret. Etſi enim obſcuritas ſpecies quædam ſilentii ſit, ſicut D. Baſilius in libro de Spiritu ſancto acute dixit, & Heraclitus, nonnullique præclari Philoſophi obſcuritatem magnopere com-

In cap. 3. Oſeæ.

commendaverint; quod, ut inquit Boetius, *Arcanorum ſit fida cuſtos, & ſapientiæ tantum cultores ſuo colloquio dignatur*; Aquinas tamen, qui non modo cum Paulo ſapientibus, atque inſipientibus debitorem ſe eſſe intelligebat, ſed cum Platone, & Ariſtotele quoque noverat certiſſimam ſcientis notam eſſe, poſſe, ac ſcire docere; tenebras, & obſcuritatem omnem non modo a ſuis; ſed ab aliis quoque multorum doctorum voluminibus & ſcriptis, magno rerum & verborum ſplendore adhibito, & quantum res pati poterant, ſemper depulit, ac fugavit, ut vere ſcripſerit ſtylo hominis, plano videlicet & luculento, quem omnes intelligere poſſint. Quamvis rogatus, ſe ex eorum fuiſſe numero nequaquam negaret, qui cum Auguſtino ſcribendo proficiunt, & proficiendo ſcribunt; ut ſi in poſterioribus voluminibus commutavit ſententiam, quod ii volunt, & palinodiam aliquando cantavit, nemo proinde mirari, nemo factum improbare ratione aliqua poſſit. Quis enim eſt tam felix, tamque beatus, qui ea omnia juvenis norit, quæ ſenex; atque adeo, qui cum Solone non ſeneſcat plurima diſcens? & ob id, ſi aut eadem prorſus argumenta, aut alia illis cognata, quæ jamdudum tractaverat, multo poſt tempore rurſum expenderit, non etiam, ſtudiorum & temporis beneficio a priori aliqua opinione & ſententia, quam vel ſuo marte invenerat, vel ſequutus alios auctores, quod fieri ſolet, comprobarat, non, inquam, interdum receſſerit? Nonne duodecim ſunt horæ diei? nonne & ſapientis eſt mutare propoſitum? Quorſum enim viveret homo, ſi nihil ætas, nihil aſſidua lectio, meditatio, uſus illi conferrent? *ſolet mortalibus*, inquit Euripides in Hippolyto, *prudentior poſterior eſſe aliquando cogitatio*. Tullius quoque fatetur ſibi adoleſcenti inchoata quædam & rudia excidiſſe. Quod & eveniſſe Tertulliano contra Marcionem, Origeni in Cantico canticorum, & Quintiliano denique in 12. libris Inſtitutionis oratoriæ D. Hieronymus graviſſimus teſtis eſt. Cumque Damaſus Papa dicat: *Reiterari oportet, quod male actum eſt*; & Leo Pontifex, *tunc optime veritatem defendi, cum opinio falſa a ſuis auctoribus improbatur*, quid mirum eſt, ſi bis, aut ter in tanta voluminum copia (neque enim ego ſæpius illum hoc egiſſe animadverti) ab ea, quam alias docuerat, ſententia

Proemio lib. de Hebd.

2. p. diſt. 1. quæſt 7. Epiſt. 10. ad Flavianum.

tentia humilis & pius, ſe accito recedit? Certe etiam libellum illum, qui de concordia dictorum Thomæ inſcribitur, ſectatores ejus non incelebres fuiſſe ab eo editum nolunt. Nec tamen minus ſarta & tecta ejus auctoritas quoque maneret, ſi fœtus germanus Thomæ id opus eſſet; ut pote ejus, qui Auguſtinum Doctorem eximium, & Venerabilem Bedam, & alios quoſdam ſequutus imprimis fuiſſet. Sed & Joannis Scoti interpretes nulla in re magis laborant, quam ut eum ſibimet ipſi concilient. Ubi enim veritas Heracliti antro detruſa, aut Democriti puteo demerſa latitat, hoc eſt, nondum illuſtris & omnino conſpicua prodiit, licuit profecto ſemper, atque licebit inquirere, & ſcrutari, & pro pondere argumentorum, proque majori divini Numiminis afflatu, prioribus ſcriptis addere, demere, commutare, melioremque proferre ſententiam licuit; rudiora expolire, nimis preſſa fuſius & copioſius explicare, addere obſcuris lucem, & ubi offendere nos poſſe veremur, moderari, & mitigare. Scripſit bis in Abdiam Prophetam Hieronymus, Pſalteriumque non ſemel latinum fecit, ut priora ſcripta, uti ad Pammachium ſcribit, poſterioribus emendaret: Et Gregorio Nazianzeno licuiſſe alibi dicit, eumdem Maximum (quod nonnulli nequaquam recipiebant) pro tempore & laudare, & vituperare. Quamquam præterea, ſi verum amamus, diſſentire doctores a ſe ipſis, Sanctumque Thomam præcipue, ubi conſentiunt maxime, crebro ignavia noſtra putamus, qui nec illorum verba ponderamus, nec ſenſum tenemus, aut ſcopum, in quem illa dirigunt, attingimus, ſed (proh pudor!) ad pauca reſpicientes futiliter ſæpe proferimus. Recte profecto Theodoretus in Eraniſte, lib. I. hæretico Scripturas quaſdam ſibi invicem repugnare affirmanti: *Tibi, inquit, non animadvertenti, vel temere contendenti videntur repugnare, quæ recte conveniunt*. Ad hæc, ego alibi multis argumentis, & niſi vehementer fallor, ad perſuadendum aptis, oſtendo conſueviſſe non raro Doctorem hunc, ubi orthodoxam Eccleſiæ fidem integram & inviolatam manere prudens animadvertit, ſi unam perinde atque alteram de re aliqua opinionem aliquis tenuerit, utramque ſuis ſcriptis ſequi, atque docere; unam quidem priore, alteram poſteriore a ſe volumine edito. Quamobrem fit, ut ſi illius diſcipulis & alumnis

De Script. Eccl.

nis

nis ferme omnibus tutior, & ex ejus animo illa magis eſſe videatur, quam poſterioribus ſuis ſcriptis docet, præſertim in Theologiæ Summa, quam teſtamentum illius Capreolus, & alii quidam vocant; mihi nihilominus longe aliena mens ſit, & neque paucis, neque levibus rationibus ductus conſtanter cenſeam, alterutram qui ſequutus fuerit, ab illius ſententia non diſcrepare. (11) Equidem D. Auguſtinus, quem Thomas libenter ſequi, & ad unguem, quod ajunt, exprimere ſolet, & Plato Philoſophorum Princeps eumdem morem in ſuis præclaris voluminibus crebro ſervarunt. Igitur quod ingenio & arte a magnis auctoribus ad doctrinæ varietatem & ubertatem oſtendendam, & laudem acquirendam factum aliquando eſt, in rebus nimirum, ubi rationes & argumenta magni ponderis utrimque eſſe videntur, nec ſatis dilucide, a qua parte veritas eſſet tunc temporis cerni potuit, imperiti & oſcitantes homines contradictionem eſſe exiſtimant, & ad calumniam trahunt.

At vero age & illud perpendamus, quod nonnulli ajunt, S. Thomæ ſcripta non commovere, nonque excitare lectores. Nam cum Patres illi antiquiores ferme omnes copioſi admodum & acres in dicendo ſint, exceſſibuſque, & figuratis eloquutionibus quemadmodum & Oratores profani reliqui (quod illa ætas ita exigebat) paſſim utantur, Sanctuſque Thomas brevis, purus & omnino didaſcalicus, mirum non eſt, ſi non ita hujus ſcriptis, quemadmodum veterum illorum præclaris monimentis, commovemur, & excitamur: hic diligentius docet; illi felicius movent: fines diverſi ſunt. Quamquam ſi earum rerum quoque certam rationem haberemus, quas de Deo, de Chriſto Domino noſtro, de Angelis, de beatitudine, deque aliis pleriſque rebus interdum diſſeruit, non pro dignitate tantum & natura earum, ſed etiam pro modo, quo illas tractavit, & explicavit (nec enim frigide, ſed ardenter de eis diſſerit) profecto non exiguis divini caloris igniculis nos calefieri, & ſagittis potentis acutis cor-

da

(11) Prope finem lectionis 19. *de ſex diebus conditi orbis*, Vielmius hæc iterum innuit, ſed breviter tamen, & nulla uſus ratione; unde & coniicimus non eum eſſe locum, ad quem nunc alludit. Suſpicamur, atque dolemus latere alicubi, vel periiſſe omnino lucubrationem illam, qua res iſta clarius explicabatur, quæque, noſtra ſententia, Thomiſticæ ſcholæ fuiſſet in rebus multis utiliſſima.

da noſtra vulnerari ſæpenumero experiremur. *Verba etenim ejus omnia animæ languentis medicinam habent.* Sed ita excellit hac in parte inter Scholaſticos, fateor volens ac lubens, S. Bonaventura in opuſculis; ut cum veterum quovis conferri, multis vero præferri, citra eorum injuriam poſſit: in quibus certe eminere mihi videtur ejus Itinerarium mentis in Deum, & jure ac merito a Cancellario Gerſone eximiis laudibus efferri. Sed & ego recentiorum quibuſdam libellis, in primis vero Laurentii Juſtiniani, Venetiarum Protopatriarchæ, & Bartholomæi Vincentini, Ordinis Prædicatorum, & ejus civitatis (12) quondam Epiſcopi, mirifice commoveri me, & ita ad bene ſancteque vivendum impelli ſentio, ut nuſquam magis: ac propterea ægre admodum fero Vincentini libellos occultari, & a ſtudioſis non legi. Habent enim non ſolum incipientes, atque proficientes unde facilius, & fælicius promoveantur, ſed ipſi quoque perfecti unde eximiam ſpiritus oblectationem, ingenſque robur nanciſcantur.

Hic Laurentius Epiſcopus etiam fuit Eccleſiæ Æmoniæ, vir ſanctus, qui & miraculis claruit.

Porro autem dolet mihi, & vehementer quidem, non ſolum illum Anonymum nebulonem Pariſienſem, cujus ſuperius inviti mentionem fecimus, ſed & Gerſonem, atque alios complures & pios & doctos homines in S. Thomam, cæteroſque ſcholarum claſſicos & primæ notæ auctores ita commoveri, quod & Philoſophorum doctrinis, non modo perdiſcendis, dilucidandiſque, ac interpretandis, ſed etiam alios edocendis diligentiorem operam navaverint; & frequentiores atque prolixiores, ut illis videtur, in eis citandis ſint; cumprimis autem, cum chriſtiana dogmata, & ſacras Literas explicare nituntur. Reſpondi his copioſius olim in Apologia: addam nunc pauca quædam; ut eos, ſi fieri poteſt, deliniam; dixiſſe enim Ariſtotelem perhibent: *Si crebro jacias, quandoque feries.* Et primum oſtendere non laborabo, quantum præſidii Philoſophiæ ſtudia ad ſacras Literas intelligendas aſferant: id enim eruditi utriuſque manus quamplures copioſe & diſerte antehac feliciter egerunt, noſque hoc onere prorſus ſublevarunt; ſed hoc in præſenti dumtaxat demon-

(12) Bartholomæus hic fuit de Bregantiis, cujus opera adhuc aſſervantur inedita apud noſtros ad S. Coronæ Vincentiæ. Horum operum catalogum ex Barbarano, exhibet Echardus, Tom. I. pag. 258.

demonſtrabo, S. Doctorem, quem iſti accuſant, nihil egiſſe aliud, quam quod alios illuſtres & ſanctiſſimos Patres factitaſſe literarum monumentis proditum eſt; atque adeo, cum *vita Sanctorum*, ut D. Ambroſius monet, *cæteris norma vivendi ſit*, & D. Auguſtinus contra Mendacium aſſentitur, immerito plane vel ipſe unus, vel etiam cæteri cum eo ſcholaſtici Patres ea de re, aut reprenduntur, aut etiam vapulant. *Lib. 1. de Virg.*

Nam, ut Abrahamum omittamus, quo ſanctiorem ætas illa neminem vidit, & nihilominus Phænices, atque Ægyptios ingenuas, ac liberales artes ut ferunt, edocuit; & Joſephum illius pronepotem caſtiſſimum; & deinde magnum Judæorum legiſlatorem Moyſem, qui Ægyptiorum diſciplinas & ſcientias, quæ & variæ & præſtantiſſimæ erant, inſigniter calluerunt; & ut creditur, Judæos edocuerunt; ad nonnullos dumtaxat eccleſiaſticos Patres me verto, imprimiſque ad Origenem, magnum illum & celeberrimum doctorem, quem Eccleſiarum magiſtrum Hieronymus vocat, de quo, quantum ad inſtitutum noſtrum attinet, Nicephorus, lib. 5. poſt Euſebium ita ferme in ſua hiſtoria ſcribit: *Et quos idoneos eſſe ad Mathematicas diſciplinas percipiendas videbat, eos ad Geometriam, Arithmeticam, aliaſque liberales artes perducebat: inſuper autem & ad Philoſophorum ſectas cognoſcendas inſtruebat, dogmata eorum illis exponens, & commentarios in res quaſvis addens, ita ut apud Philoſophos magnus quoque haberetur: quod ſi qui eſſent paulo rudiores, eos artes Cyclicas edocebat, magnam inde utilitatem comparari ad ſacrarum diſciplinarum doctrinam perhibens*. Hæc Nicephorus, qui & Heraclam Alexandrinum Epiſcopum, virum ſumma ſanctitate morum ornatum, ſermone diſertiſſimum, & doctrina excellenti præditum, illud idem munus deinceps Alexandriæ præſtitiſſe teſtatur. Atqui & Hieronymus nobilium pueros ſibi commiſſos in Poetarum, ac Rhetorum libris inſtituebat; atque cum id ei Ruffinus imperite objeciſſet, nec reſponſione quidem aliqua vir ſanctiſſimus & graviſſimus hominem eſt dignatus. Gregorius vero Nazianzenus, ſe Athenis multos annos cum Magno Baſilio eiſdem præclaris Philoſophiæ, & oratoriæ Facultatis ſtudiis operam dediſſe, probatiſſimoſque eo tempore Sophiſtas audiſſe narrat. *Epiſt. 65.* *Epiſt. 27 ad Euſebium.*

rat.

rat. Quod Chryſoſtomus de ſe quoque, & altero, ut opinor, Baſilio idem ferme in libris de Sacerdotio ſcriptum reliquit. Sed cæteros quoſque ſanctiſſimos viros, & eminentis in Eccleſia nominis conſulto nunc prætcribo, ne ligna in ſylvam afferre videar, qui omnes eo labores ſuos: & ſtudia hujuſmodi retulerunt, ut Gentilium, cæterorumque noſtrorum hoſtium improbitatem, & inania in chriſtianam pietatem argumenta felicius retunderent, noſtraque ubi oportuiſſet, fortius tuerentur. *Stude ſapientiæ fili mi*, inquit Scriptura, *& lætifica cor meum, ut poſſis reſpondere exprobranti ſermonem:* quod & viva voce, & editis voluminibus illi quidem jamdudum præſtiterunt, & Aquinas noſter poſtea accuratiſſime, & egregia cum laude eos imitatus exhibuit.

Prov. 27.

Sed mille enſes, inquiunt quidam, milleque clypeos Turris noſtri Davidis habet, ut illis Chriſti milites armati ac inſtructi, & eam fortiter tueri, & profligare inſanientes hoſtes glorioſe poſſint; ut proinde ſupervacaneum ſit ex Philoſophia petere ſuppetias. Non prorſus repugno; ſed ſciſcitor tamen cur, cum prudentiſſimus David blaſphemum hominem, & Iſraelitici populi ferociſſimum hoſtem ſumma omnium cum admiratione peremiſſet, ejus enſem una cum reliquis armis in templo appendit? quid hic, rogo, dicturi ſunt? nonne cauſæ, ſi verum amamus, in aperto ſunt? Nempe ut facinus illud præſtantiſſimum, atque præclara victoria, quam auctori Deo acceptam referebat, nullo unquam tempore traderetur oblivioni; utque ſuo exemplo Hebræos milites cohortaretur, ut hoſtes ſuos ipſorum etiam armis, ſi quando res ita ferret, fortiter interimerent: nemo enim non intelligit hoc eſſe facinus præſtantiſſimum, & quo glorioſius nullum ſit in bello invenire. Nec admodum refert, ſi illud quoque verum eſſet, quod quidam objiciunt, Origenem videlicet exiſtimaſſe, eſſe abſurdum profanarum literarum eruditionem cum ſacra commiſcere doctrina. Enim vero neque hoc exiſtimaſſe Origenem, Thomas Waldenſis longe doctiſſimus & celeberrimus contendit, & teſtimonia ſplendidiora Sole Waldenſi ſuffragantur. Nam quomodo dixiſſet Porphyrius, illum convertiſſe Græcorum divitias ad locupletandum chriſtianum dogma? & rurſum

De Sacram. Euchariſt. cap. 17.

quo-

quomodo ea Euſebius, & Nicephorus, quæ commemoravimus, de eo ſcripſiſſent? ſed & Theophylus, lib. 2. Paſchali, nonne eum hanc quoque ob cauſam, immerito quamvis, reprehendit? impoſtura igitur & calumnia eſt, hoc ſentire exiſtimaſſe Origenem; & ſi exiſtimaſſet, ut dixi, ſtatueremus ei ex adverſo priſcos illos Theologos, Origene ipſo ſanctioris in Eccleſia nominis, qui in ſuis libris, Platonem, Varronem, Ciceronem, hiſque affines Poetas, Rhetores, & Hiſtoricos ad multorum uſque admirationem tum ſæpe proferunt, quemadmodum Thomas, & cæteri recentiores, Ariſtotelis, Averrois, Avicennæ, cæterorumque Peripateticorum, qui maximo nunc in pretio habentur, Philoſophiam ad criticorum quærimoniam uſque ſectantur. Enumerat Hieronymus ad Magnum antiquiores complures, & confeſtim ſubdit: *Qui omnes in tantum Philoſophorum doctrinis atque ſententiis ſuos refarciunt libros, ut neſcias quid in illis primum admirari debeas, eruditionem ſæculi, an ſcientiam Scripturarum* & paulo inferius: *Nec ſtatim prava opinione fallaris, contra Gentes hoc eſſe licitum, in aliis diſputationibus diſſimulandum; quia pene omnes omnium libri, exceptis his, qui cum Epicuro literas non didicerunt, eruditionis doctrinæque pleniſſimi ſunt.* Auguſtinus quoque cum Hieronymo non modo conſentit, quin etiam ad ea ſtudia nos, lib. 2. de Doctrina Chriſtiana, cohortatur: *Philoſophi*, ait, *qui vocantur, ſiqua forte vera, & fidei noſtræ accommoda dixerunt, maxime Platonici, non ſolum formidanda non ſunt, ſed ab eis etiam, tamquam injuſtis poſſeſſoribus, in noſtrum uſum vendicanda ſunt*, & paulo poſt: *Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles noſtri? nonne aſpicimus quanto auro, & argento, & veſte ſuffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus, doctor ſuaviſſimus, & martyr beatiſſimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? ut de vivis taceam, quanto innumerabiles Græci?* & alia plura perſequitur, quæ lectoribus obvia & trita ferme cum ſint, conſulto omitto. Sed & Palladius Hellenopolitanus Epiſcopus, Evangelicam parabolam, qua regnum cœlorum ſimile fit Scribæ docto, qui profert de theſauro ſuo nova & vetera, ita alicubi interpretatus eſt: ut vetera illa, humanæ ſapientiæ diſciplinas, nova autem, ſancti Spiritus eloquia

Epiſt. 84. *Cap.* 40.

Dominus intellexerit. Et Divus Hieronymus, libellum quemdam de Spiritu ſancto inſcriptum (qui an D. Ambroſii fuerit, ut Ruffinus putat, an alterius auctoris, in præſenti non admodum refert) ſic elevat, & parvipendit; *quod nihil in eo dialecticum viderit, nihil virile atque diſtrictum, quod lectorem in aſſenſum trahere poſſit*. Sed & quantum Dialecticæ tribuerit D. Auguſtinus, facile videre eſt libro primo contra Creſconium; ut graviſſimorum hominum judicio legitimus Dialectices, cæterarumque artium, quæ ingenuæ & liberales paſſim dicuntur, uſus coargui, & improbari cumprimis in propugnanda religione noſtra nequaquam poſſit. Quamobrem merito excandeſcunt eruditi in Lactantium, qui Philoſophiam omnem abjecerit citra delectum, & eo ſæpe magis, quo ipſe non aliter glorioſus de inimicis victorias tulerit, niſi quia ea erat inſtructiſſimus. Amplius, & cogitandum præterea his auctoribus fuerat, ſacras Literas, quæ & Dei oracula ſunt, non omnia, quæ in noſtrum uſum veniunt, edocere: quamobrem, ubi earum auctoritas nobis deeſt, ſolemus naturæ conditionem ſequi, ſicut & ipſe D. Thomas conſulit. Quid igitur hic fecit? quid peccavit? quid commeruit, cum virili & generoſo ingenio compulit naturam Religioni inſervire? cum ancillas coegit dominæ ſuæ ſuppetias ferre? ob eam nimirum cauſam, ut abſtruſiſſima illa Dei arcana & ipſe nobis luculentius explicaret, & nos eo præceptore facilius perciperemus? Loquitur de natura in ſanctis Literis Deus, & humano more, illis de cauſis, tropis, ſimilitudinibuſque, ac rebus nobis cognatis & familiaribus frequentius utitur: & Thomam aut vituperabimus, aut coarguemus, qui, ut facili tutoque itinere in Dei contemplationem & admirationem homines duceret, ſermonem de natura cum ſermone de Deo, Philoſophiam cum Theologia, humanas artes cum divinarum rerum contemplatione commiſcet? Atqui hic antiquarii etiam allegorias nobis obiiciunt. Etenim, inquiunt, vinum, quod mixtum eſt aqua, eximius quidam Propheta damnat. Sed & nos quoque amici, aquam illam Prophetæ repudiamus & execramur, quæ hæreticorum doctrina eſt, pernicioſarumque opinionum perſuaſio; quam cum orthodoxæ Fidei dogmatibus Eccleſiæ hoſtes infarciunt, aquam vino miſcent, & qui-

Præf. in lib. Didymi de Spiritu Sancto.

Iſaias cap. 1.

Vide Epiſtolam Taraſij ad Imperatorem in actis ſecundæ Synodi Nicenæ.

& quidem aquam, quæ numquam tranſit in vinum, ſed ſemper ſuas proprietates retinet. Sed Doctor noſter aquam Philoſophiæ, bonarumque artium efficit, & convertit piis omnibus in pretioſum vinum, exemplo Domini in nuptiis, hoc eſt in gloriam Dei, in animarum utilitatem & ſalutem: & rurſum ipſam hæreticorum doctrinam & infidelium in ſanguinem impiis mutat; quemadmodum olim, Deo jubente, Moſes tenebroſis Ægyptiis aquam fluvii in typum converterat. Quamquam præterea ii amici noſtri cogitare deberent, Sapientiam quoque id vinum miſcere; quod nobis aliquando propinat.

Exod. 7.

Quod ſi Philoſophiam hanc, quam Thomas ſequutus eſt, ideo vituperant, quod non Platonis ſit, qui cæteris Philoſophis propius ad chriſtianam pietatem ſuis placitis acceſſiſſe Patribus noſtris ferme omnibus viſus eſt, quem & propterea ſectabantur, ſed Ariſtotelis, qui ab ea receſſiſſe in multis exiſtimatur; reſpondebo, obſervaſſe me, Aquinatem nuſquam, quod Ariſtotelis doctrina exactiſſime ſit eruditus, eaque in docendo ita frequenter utatur, vel paradoxa, vel abſurdas, hæreticaſque de Religione ſententias in Eccleſiam invexiſſe; quinimo, tamquam ſapientiſſimum quemdam proretam, hujus Philoſophi opiniones atque decreta, quæ noſtræ pietati adverſari animadvertit, penitus, ac veluti eminentes & conſpicuos ſcopulos evitaſſe, miroque quodam ingenii acumine, & felici dexteritate ea, quæ ambigua eſſe poterant, commode pieque interpretari conſueviſſe: contra vero antiquorum quoſdam celebrioris in Republica noſtra nominis, quod Platonicorum Philoſophiam impenſius ſectarentur, & erraſſe locis quamplurimis, & non ita diligenter ac limate, ſicuti oportuiſſet, edocuiſſe.

Unde & Epiphanius, libro 2. hoc nomine Arianos damnat, ac quidpiam ſimile in Luciferianos D. Hieronymus obiicit.

Adducam nunc in medium unius, atque alterius aliquot placita, aut exempla, ne antiquarii temere me loqui arbitrentur. Gregorius Nyſſenus Magni Baſilii frater, Platonem ſequutus, humanam animam eſſe corporis entelechiam, quod Ariſtoteles recte voluit, conſtanter negavit; quod ſequi omnino inde cenſeret, morti illam cum corpore obnoxiam eſſe: cujus ſententiam Concilium Viennenſe, & Lateranenſe poſtremum, communibus decretis, jampridem damnarunt; quamquam, ne quid diſſimulem, & Juſtinus quoque martyr & Theodoretus, li-

Lib. 2. de Anima.

F 2 bro

bro 5. de curandis Græcorum affectionibus, in Nyſſeni ſententiam conceſſiſſe mihi videntur. Origenes autem, & Baſilius, atque Michael Pſellus, & alii nonnulli Platonicorum alumni, Angelos, & Cacodæmones corporeos eſſe ſenſerunt: quam opinionem, etſi dum ſacras literas Cardinalis Cajetanus ſuis commentariis interpretaretur, ſequutus ſit, ego tamen multis argumentis & rationibus improbari & explodi poſſe non dubito. Porro Auguſtinus cum lucem tenere primum locum in corporalibus dicit; noſque bonos eſſe bonitate Dei; animam vero noſtram abſque corpore nonnulla ſentire; duo feciſſe Deum, quorum alterum forma præditum ſit, alterum autem informe, & ejuſmodi alia quædam, ſic eum Aquinas pro ſua in illum reverentia & pietate interpretatur, ut alicubi acute elevet, alicubi amanter deflectat, alicubi demum, quod Platonicos ſequutus ea dixerit, excuſet; quod etiam *Lib. de hæreſ. 86.* Auguſtinus erga Tertullianum egerat, cum eum refert *In cap. 19. Jeremiæ.* dixiſſe, Deum eſſe corporeum, & Hieronymus erga Millenarios. Tanto honore homines doctos proſequebantur!

Cum vero audio tardos quoſdam, & plane rudes & hebetes vocare Thomam curioſum, & illius lucubrationes ea de cauſa vel deſpicere, vel vituperare ſolere, mihi mox in *Epiſt. 84.* mentem veniunt illa D. Hieronymi verba: *Sunt edentuli, qui veſcentium dentibus invident, & Talpæ, quæ Caprearum oculos contemnunt.* Nam ſi curioſus ille dicendus *Lib. de ſimilitud.* eſt, qui, ut inquit Anſelmus, ea ſcire, aut ſcrutari deſiderat, quorum nulla utilitas eſt, nullum commodum, nullumque beneficium; gravis profecto impoſtura eſt, & manifeſta calumnia, hunc ſanctiſſimum doctorem vocare curioſum. Ea enim ſcrutatur ubique, atque in ea totus conſtanter incumbit, e quibus ſummam nobis utilitatem, & maximum beneficium afferat. Neque enim ei obiicere quiſquam poteſt, quod Sacerdotibus ſuæ tempeſtatis Hie- *Epiſt. 146.* ronymus deplorans obiiciebat, *quod dimiſſis videlicet Evangeliis, & Prophetis, comœdias legerent, amatoriaque Bucolicorum verſuum verba cantarent;* nec quod Auguſtinus in *Lib. de moribus Eccleſiæ catholicæ.* Philoſophos non minus eleganter, quam vere ita ſcribit: *Sunt, qui deſertis virtutibus, & neſcientes quis ſit Dominus, & quanta ſit majeſtas ſemper eodem modo manentis naturæ, magnum aliquid ſe agere putant, ſi univerſam illam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curioſiſſime, intentiſ-*

tentiſſimeque perquirant; unde & tanta ſuperbia gignitur, ut in ipſo cœlo de quo ſæpe diſputant, ſibimet habitare videantur. Profectò illud, & cœleſte, & vere interius ſacrarium, a quo divina lege arcemur omnes, nonniſi ſanctis Scripturis, & divinis Traditionibus ducibus, Thomas ingredi ſolet: numquam inanibus vetitiſque dæmonum adjumentis in conquirendis liberalibus diſciplinis, quod perditi quidam homines facere ſolent, quodque ipſe graviſſimis verbis ſæpenumero inſectatur, quin potius divinis ſemper præſidiis, precibus videlicet, & caſtiſſimis obſequiis uſus, nihil eorum aut prætermiſit umquam, aut ſegniter egit, quæ ad munus id & provinciam, quam adminiſtrabat, pertinerent; ac denique credita ſibi talenta multa cum humilitate, eximiaque in ipſum Deum charitate ultro, aſſidueque in Eccleſiæ utilitatem expoſuit. Et curioſum eum leviſſimi, & imperitiſſimi homines appellabunt? Sed altiora illa arcana, inquiunt, non modo attingit, ſed etiam reſerat, quæ ſilentio & humilitate adoranda eſſent: quamobrem & Icari, Phætontiſque caſus quidam ſatis intempeſtive, ac procaciter commemorat. At vide mi frater, ne arcana illa tibi dumtaxat altiora ſint, non vero Thomæ, qui liberalium, & ingenuarum omnium diſciplinarum præclara cognitione inſtructus & dives, ſanctoque Spiritu copioſe perfuſus, potuit, ſi alius quiſquam, præpetibus pennis ſeſe in ſublimi ſine ullo vitæ diſcrimine tollere, & abſque temeritatis nota cubiculum ſponſi ingredi; ut fruſtra & inepte Icari, Phæthontiſque funera hoc loco commemores. Aquilam ſcribunt, aciem oculorum in Solem fortiter figere, pulloſque ejuſmodi obtutu, tamquam certo argumento, num ſui ſint, experiri, & Bubones, ac Noctuæ, quod jucundiſſimam diei lucem ferre non poſſint, eam ob rem curioſam illam, temerariamque vocabunt? Grandes tractationes, inquiunt cum Hieronymo, ingenia tenuvia non tolerant, & in ipſo conatu ultra vires auſa ſuccumbunt; & rurſum cum alio quodam: *Quæ ſunt occultata, non oportet quærere*. Probo; ſed reſpondebo cum Theodoreto, Dialogo I. Eraniſtæ, quod nec ea, quæ ſunt declarata, penitus ignorare debemus; & rurſum, ut proferant refractarii, ubi Aquinas quidpiam tentaverit, quod non feliciſſimo confecerit: indicent, quod onus ſubire aggreſ- *Epiſt. 3.*

ſus aliquando ſit, quod ferre illius vires, humerive recuſaverint, aſſentirique confeſtim illis parati ſumus.

Jam vero quod de partitionibus, & ſubpartionibus alii quidam afferunt, ita frigidum & ineptum, ut dicam quod ſentio, mihi eſſe videtur, ut refellere plane pigeat. Nam, ut Platonem prætercam, qui partitiones primas obtinere in ſcientiis exiſtimavit; & Ciceronem, qui eas ubique probat; & Ariſtotelem, quem, licet verbis ab iis recedere videatur, re ipſa tamen eorum ſententiæ ſubſcribere complures viri nec indocti, nec inglorii auctores contendunt, Averroes certe, qui diviſiones hujuſmodi improbare nonnullis videtur, etſi ſua ipſarum natura non eſſe in ſcientiis neceſſarias dicat, conſulere tamen probe tardioribus ingeniis haud inficiatur. Et quidem id efficit partionibus illis S. Doctor, ut ea, de quibus ediſſerit, percipere & complecti imperitiores, quos etiam imbuendos & inſtituendos ſuſcipit, facilius poſſint. Non ſunt auditores omnes vel ad præclariſſimas res contemplandas, vel ad præceptiones de moribus retinendas, Heſiodo etiam teſte, æque idonei, & felices. Itaque quemadmodum cibus cum accurate manditur, & in minutiores partes conteritur, nequaquam defatigare naturam ſolet, quin etiam facilius concoquitur & digeritur, vitæque noſtræ conſulere vulgo etiam creditur; ita propemodum animi noſtri ſenſa, & verba, methodo & ordine in ſuas claſſes, & loca diſpoſita, lectores magna utilitate voluptateque afficiunt, auctoreſque ipſas res perbelle tenuiſſe declarant. Præterea in ipſo voluminis tamquam limine & veſtibulo, quam ſint omnes argumenti partes inter ſe diſpoſitæ & connexæ, oſtenditur; ac fit ut lector non omnino novus, aut hoſpes, ſed veluti diu verſatus, & familiaris univerſum opus ingrediatur, & luſtret. Et plane non ſolus Thomas in dividendis, ſubdividendiſque ſanctis Scripturis, & eorum doctorum lucubrationibus, quas ſuis commentariis explicandas ſuſcepit, accuratus fuiſſe videtur, ſed & reliqui etiam eorum temporum clariſſimi omnes auctores: quorum ſiquis commentarios evolverit, facile perſpiciet, illud diſſecandi, partiendique in minutiores partes artificium (quod Plato eſſe boni coqui munus exiſtimavit, & moroſi iſti aſſueti groſſioribus bolis faſtidiunt) eos veluti publico decreto ſervaſſe.

vaſſe. Quamquam, cum lector pulcherrimam illam artem, moræ impatiens, ferre, non poteſt, nemo eorum ita auſterus eſt, ut ego profecto ſentio, qui aditum illi confeſtim ad alia tranſeundi conſultus neget; ut de eis conqueri, propter partitiones illas minutiores, nemo ſtudioſus poſſit.

Poſtremo vero, cum Eccleſiæ conſuetudo ſit, quæ doctorum monimentis auctoritatem & pondus afferre ſolet, mirari nemo debet, ſi celeberrimos ſui temporis auctores, quos iſti proferunt, graviſſimus Doctor vel ad ſua confirmanda, vel ad aliena refellenda, tamquam teſtes numquam adduxit: quamobrem nec multum magiſtris, Hugoni, Præpoſitivo, Gilberto Porrectano, aliiſque nonnullis, qui ante Albertum, & Alenſem Lutetiæ floruerunt, quorumque volumina accuratiſſime etiam legit, tribuere ſolet. Sectatur Aquinas veteres illos, Eccleſiarum eximios magiſtros, quibus diuturnus catholicorum conſenſus exiſtimationem & auctoritatem peperit, ac tamquam teſtes omni exceptione majores frequenter, ac de nomine profert. Equidem & eo longe antiquiores Patres videmus admodum raro, hoc eſt, cum vel fortioribus rationibus deſtituerentur, vel Traditionum Eccleſiæ teſtimoniis fulcire ſua placita nequirent, æquales ſibi doctores in medium proferre. Melioribus igitur cum niteretur ille argumentis, non tam auctores in diſputando, quam rationum momenta (quod & conſulit Cicero) ſectatur; quamobrem fruſtra eos doctores, quos commemorant, quamquam illuſtres, ad comprobanda dogmata citaſſet. Cum vero ab eorum placitis modeſte & amice recedit, honoris, opinor, & reverentiæ ergo nominibus pepercit. Neque enim eorum nomina contempſiſſe putandus eſt, quod aut quaſi de principatu gloriæ cum eis contenderet, qui mundum mundanaque omnia nihili penderet; aut livore duceretur, qui longo poſt ſe intervallo illos ſe relinquere probe intelligebat. Ergo maligni pectoris hominem, inurbanumque illum eſſe plane exiſtimarem, qui invidum, aut ambitioſum, aut certe amarulentum innocentiſſimum hunc hominem fuiſſe arbitraretur. Quamvis enim ſint apud Gellium quidam, qui putent, Platonem æmulatione quadam noluiſſe Xenophontis nomen ſuis præclaris Dialogis inſerere, Democritique libros omnes, qui innumeri fuiſſe feruntur, malevolentia

Lib. 1. de natura Deorum.

Lib. 14. Noct. Attic. cap. 3.

atque invidia impulſum comburere voluiſſe; ego tamen, quod hæc indigna omnino mihi nobili & ingenuo homine, philoſophoque præſtantiſſimo eſſe videantur, numquam in animum induxi meum, ut crederem: quin potius malos eſſe homines, qui iſta commentarentur, ſemper exiſtima-
Orat. ad Patrem. vi; *Solet enim malus* (Gregorio Nazianzeno teſte) *cito contemnere bonum; at bonus haud facile malum: quod enim ad malitiam paratum non eſt, neque ad ſuſpicionem proclive exiſtit.*

Et hactenus quidem, OPTIME ANTISTES, criticorum objectionibus, quas in Sancti Thomæ doctrinam & ſcripta generatim obiiciunt, etſi non pro meritorum illius dignitate, pro noſtra tamen tenuitate, copioſe & ſplendide, ut exiſtimo, ſatisfecimus. Quod ſi hanc noſtram defenſionem refractarii adhuc minus probabunt, dicam illis
Epiſt. 89. demum cum Hieronymo, *ut bibant vinum vetus cum ſuavitate, & noſtra muſta contemnant.* At meminerint, non modo puerilis eſſe jactantiæ, accuſando illuſtres viros, nomini ſuo famam quærere, ſicut idem Hieronymus docet; ſed etiam extra blaſphemiam ferme non eſſe, Scriptores, qui jampridem in Eccleſia objerunt, contumeliis afficere; eorumque vel ſcripta reiicere, vel judicium conculcare,
Eccl. Hiſt. 13. cap. 13. ſicut Nicephorus teſtatur, Theotimum Scytharum Epiſcopum præclare dixiſſe.

L I.

LIBER SECUNDUS.

SÆpenumero laudi Scriptoribus datum eſſe animadverti, Præsul Amplissime, edidiſſe illos multa volumina; ſolereque poſteriores, eorum numerum, & indices accuratiſſime, ac tamquam ſuorum ſtudiorum certiſſima teſtimonia proferre. Pomponius Jureconſultus, Servium Sulpitium prope centum & octuaginta volumina reliquiſſe ſcribit. Auguſtinus autem de Varrone: *Scripſit tam multa*, inquit, *quam multa vix quemquam legere potuiſſe credam*. Quintilianus quoque, cum in Didymum Grammaticum alioquin inveheretur, *quo*, inquit, *nemo plura ſcripſit*. Origenem autem, quod referente fama, ut Epiphanius teſtatur, ſenamillia librorum edidiſſet (quam tamen Hieronymus in Ruffinum, accito Euſebii indice, coarguit) Patres majores noſtri magnopere admirabantur; & Suidas compoſitorem nuncupatum fuiſſe prodit; atque Hieronymus alibi de eo ſic ſcribit: *Mille & eo amplius tractatus edidit, quos ipſe Tomos appellat. Quis noſtrum tanta poteſt legere, quanta ille conſcripſit?* Gennadius vero, cum de Auguſtino verba faceret: *Tanta*, inquit, *ſcripſit, quanta nec inveniri poſſunt*. Nicephorusque cum Joannem Chryſoſtomum laudat: *Ego*, ait, *ſupra mille ejus lucubrationes legi ineffabili quadam ſuavitate diſfluentes*. Aliaque complura id genus teſtimonia ego facile proferrem, niſi obvia illa & plane in promptu ſtudioſis omnibus arbitrarer. Verum diligentiores quoque nonnullos offendi, qui non modo volumina ipſa, integraſque auctorum lucubrationes indicaverunt, quin etiam (ut magis mireris) eorum quoque verſiculos, & lineas. Imperator Juſtinianus antiquam juriſprudentiam in duo fere millia librorum, & tricies centena millia verſuum fuiſſe diffuſam duobus in locis meminit. Et Nicephorus ſcribit, Ephrem, virum divinum, trecentas verſuum myriades conſcripſiſſe; Hieronymuſque Methodium uſque ad decem millia; Gregorium autem Nazianzenum ad triginta millia. Et qui hos omnes anteceſſit, Origenes, cum de Evangeliſta Joanne loqueretur: *Reliquit ille*, ait, *admodum paucorum verſuum Epiſtolam:*

Lib. 6. de Civit. Dei, cap. 2.

Lib. 1. Inſt. cap. 8.

Epiſt. 65.

De Viris Illuſt.

Lib. 13. Hiſt. Eccl. cap. 2.

In Pſal. 1.

lam: ſed ſit ejus & ſecunda, atque etiam tertia, quas non omnes germanas eſſe putant, & utraque centum verſus non excedit. Igitur ſi a multitudine numeroque ſcriptorum Aquinatem noſtrum laudare quiſpiam velit, patet illi profecto campus quam latiſſimus; cum is quidem tam multa, eaque ingentia volumina fœcundiſſimo ingenio ediderit, ut abſolutum eorum indicem ægre quis conficere poſſit; verſus vero is tantum dinumeret, qui dinumerat multitudinem ſtellarum: & plane bibliothecam integram & juſtam magis, quam auctorem unum appellare liceat. Nemo recentiorum, qui intra quingentos annos in Eccleſia poſteros ſcriptis erudiendo laboraverunt, plura Thoma, & Alberto Magno volumina ex ingenio deprompſit; quamquam rhapſodias propemodum innumerabiles conſarcinaſſe quoſdam reperiamus. Sed ejus generis multa edere non magnum eſt. Quodque magnopere admirari doctiſſimi viri ſolent, cum Polyſtores, Polygraphique ferme omnes diutiſſime vixerint, vegeta ac florenti adhuc ætate Aquinas noſter ex hac vita deceſſit. Origenes enim annos unde ſeptuaginta, Nazianzenus ſupra centeſimum vixere; Hieronymus (ſi Proſpero credimus) uno & nonageſimo; Auguſtinus ſexto & ſeptuageſimo, Albertus Magnus ſupra octuageſimum hanc vitam vivere deſierunt; Aquinas vero vix Jubilæum, hoc eſt, quinquageſimum annum attigerat: (qua etiam ætate, duobus tantum additis annis, Joannes Chryſoſtomus, Zonara teſte, objerat) cum a juſtiſſimo Principe Deo a ſervitute in libertatem, ab exilio in patriam feliciter eſt revocatus. Quod vitæ tempus vix legendis, quos citat, auctoribus ſufficere potuiſſe videtur; ut vel hoc argumento verius quam conjectura, intelligi facile poſſit, precibus & vitæ innocentia magis, quam ſtudio, vel lectione immenſos illos conſequutum fuiſſe theſauros doctrinæ, quos effudit: quemadmodum ipſe quoque, non oſtentationis, ſed veritatis, & Domini erga ſe munificentiæ celebrandæ gratia, Fratri Reginaldo ſocio ex eo ſciſcitanti, ſub ſigillo ſecreti, ut vocant, quoad ipſe viveret, ſemel dixiſſe fertur.

Vide Bolland. ad diem 7. Martii.

Sed qui cæteris doctoribus quoſdam propterea præferunt, quod monumenta plura reliquerint, legem Juliam ſervare mihi videntur, qua ex Conſulibus faſces ſumendi prius

prius ei poteſtas fiebat, qui plures liberos quam collega, aut in ſua poteſtate haberet, aut bello amiſiſſet. Ego vero etſi intelligam Deo eſſe acceptum & gratum quidquid in ejus recordationem erigitur; nec poſſe nos dignas pro meritis gratias illis referre, qui egregie erga ſtudioſorum rempublicam affecti fuerint: (Beatos enim propterea Scriptura eos pronunciat, *qui ſeminant ſuper aquas*), quique in ea *Iſaia 32.* juvanda & promovenda quantum præſtare voluerint, & quam multas vigilias, & labores ejus cauſa exantlaverint, multis lucubrationibus, veluti multis argumentis declararunt; exiſtimo tamen eos magis eſſe laudandos, qui præſtantiora utilioraque nobis volumina, quamquam unum dumtaxat, aut alterum quoque reliquerint, quam qui ſimpliciter plura. Pulchre ſane, & ſapienter Plato docebat: *Philoſophari non eſſe multa diſcere;* atque Themiſtius recte dixit: *Non qui plura intelligit, pluris eſt, ſed qui potiora.* Ergo nec qui ſimpliciter plures conſcripſerunt libros, ſed qui præſtantiores; hoc eſt, qui ad bene pieque vivendum plus nobis ſuis lucubrationibus contulerunt, pluris cenſendi ſunt. Nam & rerum excellentiam non metimur numero, ſed formis & virtutibus: quinimo natura, ubi commode poteſt, ſolet rerum paucitatem multitudini anteferre. Itaque cum inter ſe diſciplinæ excellant vel ſubjecta materia, circa quam verſantur, vel efficaciori, hoc eſt, certiori demonſtrandi genere, quo utuntur, habituſque omnes formalibus objectis ſecernantur, ab his potius quam a re alia monimentorum dignitas auctoritaſque ſumenda mihi videtur. Quod ſi qui utrumque præſtiterint, omnino aſſentior duplici honore dignos eſſe, majorique veneratione eos proſequi nos debere, quam qui alterum dumtaxat exhibuerint. Jure igitur Divum Thomam noſtrum numquam ſatis laudare, numquam meritis præconiis efferre poſſumus, qui non modo libros ferme innumerabiles edidit, verum etiam in iis diſciplinis, quibus nihil utilius, nihilque beatius in omni ſcientiarum apparatu hominibus contingere ſolet. Librorum autem appellatione omnia volumina cum Vulpiano Jureconſulto complector, majora, & minora; chartas, membranas, codices, ſcripta, in quamcumque materiam, corium, ebur, corticem, ceram, paginam, & hujuſmodi redacta fuerint, aut exarata; nequis voces temere

Lib. 2. de Philoſoph.

1. de Anima cap. 1.

me confudiſſe exiſtimet. Eos ego nunc recenſere, & generatim in claſſes arte & methodo diſtribuere aggredior, eorumque ſubjectas materias, non omnium quidem: (longior enim eſſem, quam inſtituti mei ratio poſtulat) ſed eorum dumtaxat, qui habentur inſigniores, quam breviſſime tamen, ac tamquam in propoſita tabula, ſpectandas proponam.

Principio igitur videntur mihi ejus omnia monimenta generatim eſſe partienda in ſacra, hoc eſt, quæ de Chriſtiana Religione tractent, & in prophana, hoc eſt, quæ externas tradunt Gentilium Philoſophorum diſciplinas (& capio hanc vocem negative, non contrarie.) Agam proinde de poſterioribus primum, deinde vero de ſacris, non eo dumtaxat conſilio, ut cum Maſſurio Sabino antiquiorem locum hoſpiti tribuam, quam clienti (ſunt enim Gentilium doctrinæ inquilinæ in Eccleſia, & advenæ;) ſed etiam, ut naturam utcumque adumbrem, quæ a minus perfectis, ad perfectiora ſenſim progreditur; & poſtremo, quod doctrinæ ordine omnium conſenſione antecedant: quamquam non eumdem ordinem S. Doctor forte ſervavit, dum ea ſcripſit.

Peripatetici Juniores omne, quod eſt, vel rationis eſſe dixerunt, quod Ariſtoteles *ens in anima* appellat, vel reale, quod idem, *ens extra animam* vocat. Quamobrem ingenuæ & liberales omnes diſciplinæ, a chriſtiana pietate externæ, circa horum alterutrum verſantur: & quidem, quæ circa ens rationis, rationales, quæ circa ens reale inſiſtunt, reales communi veluti decreto jamdudum dicuntur. Rationales plures ſunt, Grammatica, Rhetorica, Poeſis, & omnium (ut ego ſentio) utilior & præſtantior Dialectica, hoc eſt, diſputatoria, quæ antonomaſticos propterea Logica nuncupatur, & de omnibus ſibi propoſitis probabiliter ediſſerit. Reales vero nonnullæ quidem in rerum contemplatione conſiſtunt, hoc eſt, in inquiſitione veritatis verſantur; aliæ actiones noſtras componunt & moderantur, noſque bonis moribus exornant, & ob id practicæ, atque morales vocantur. Quarum, quæ primum addiſcendæ juvenibus ſint, non prorſus inter ſe Philoſophi conſentiunt. Pythagorici enim, ac Platonici, quibus Simplicius non obſcure videtur ſubſcribere, inſtituendos in morali-

ralibus diſciplinis prius eſſe juniores cenſent, quam ad veri diſquiſitionem, rerumque & cauſarum cognitionem admittantur. Contra vero alii, quod ad moralia junior addiſcenda non videatur Ariſtoteli idoneus auditor, confeſtim exercendos eſſe in contemplativis arbitrantur. Nos alibi controverſiam hanc (1) luculenter explicare conati ſumus: nunc illam in medio relinquentes, id magis pro ratione ſuſcepti officii cum Ariſtotele diſpiciamus, quod τὸ ὂν aliud quidem eſt, quod re & definitione ſenſibilem materiam concernit, cujus contemplationi Philoſophus naturalis totus inſiſtit; aliud autem, quod huic e regione poſitum eſt, quod neque re, neque definitione hujuſmodi materiam complectitur, ſed ab ea eſt vel per eſſentiam, vel per indifferentiam omnino ſejunctum, quodque ob id ad primum & plane divinum Philoſophum pertinet; tertium autem, & veluti inter hæc medium eſt, quod quamquam re in materia ſenſili ſit, animo tamen cogitatur, & definitur, perinde ac ſi in ejuſmodi materia non eſſet, eaque tota careret; de quo Geometria, Arithmetica, & quæ his ſubalternantur, Perſpectiva, Muſica, & reliquæ omnes ſcientiæ Mathematicæ tractant.

Sic itaque, Vir Præstantissime, nobis ſecerni ex arte priora illa S. Thomæ ſcripta, quæ prophana dicta ſunt, & in ſuas claſſes recte, hoc eſt, cum Ariſtotele, quem ille ſequitur, redigi poſſe videntur. Et primum quidem ea, quæ ad facultatem diſſerendi pertinent, in unam ſeriem omnia cooptentur: neque enim aliarum, quas recenſuimus, Rationalium diſciplinarum quidquam hujus Doctoris vidi, niſi forte in aliis ejus libris poſitum, licet Campanus quædam, ſed falſus, opinor, commemoret; deinde autem ea, quæ ad Philoſophum naturalem; tertio loco autem illa omnia, de quibus diſſerere munus divini Philoſophi eſt, qui & Metaphyſicus hoc tempore ut frequentius nuncupatur; quarto denique, & poſtremo libri morales collocari poterunt. Quorum quidem, ſicut & aliarum claſſium, cum quidam ſint explicationes librorum Ariſtotelis, alii vero Opuſcula dican-

In Orat. de S. Thom.

(1) Nuſquam alibi in operibus Vielmii hanc vidimus indicatam controverſiam, nedum occurrerit luculenter explicata: id circo & illud opus Vielmii interiiſſe conjectamus, quo hæc diſputatio continebatur.

dicantur (in quibus, qui de Regimine Principum inſcribitur, maxime inter morales ejus libellos, eminet, & fruſtra Onuphrius Panvinius (2) Romæ, num D. Thomæ germanus fœtus ſit, in dubium revocabat) ita mihi eorum corpora conſtitui poſſe videntur; ut primum expoſitiones, confeſtimque Opuſcula illa, quæ cum expoſitionibus neceſſitate materiæ conjuncta ſunt, ſingulis in tomis veluti adglutinata collocentur. Quamobrem primus tomus Logicalia; ſecundus, & tertius Naturalia: qui ſi plus juſto grandiores evaſerint, quartus eſt illis præterea aſſignandus; ſin minus, quartus Metaphyſica complectetur;

(2) Alii quoque Scriptores opuſculum iſtud *de Regimine Principum* S. Thomæ abjudicarunt; ſed Echardus tamen, Tom. I. pag. 542. & pag. 336. ea teſtimoniis Veterum, & fide MSS. Codd. aperte demonſtrat, primum ejus Opuſculi librum, & quatuor ſaltem priora capita ſecundi genuinum eſſe fœtum Angelici Præceptoris. Poſt hæc memorat Echardus Joannem Ambroſium Barbavarium in *Cenſura Opuſculorum, quæ ſub D. Thomæ Aquinatis nomine hactenus prodierunt*, Opuſculum iſtud S. Thomæ detrahentem; quumque *Cenſuram* illam Barbavarii ineditam in Mediolanenſi Ambroſiana aſſervatam non potuiſſet inviſere, nihil habet certi, quod reponat, ſed ſolis utitur divinationibus, & conjecturis. Nos, humaniſſimi amici manu, deſcripta habuimus ex Codice Ambroſiano, num. 373. incipiendo a folio 160. omnia, quæ Barbavarius in ſua illa *Cenſura* adverſus Opuſculum iſtud objectatat, atque deprehendimus re ipſa magnam eorum partem, ut ſagaciſſimus Echardus conjectaverat, ſpectare ad capita poſtrema libri 2. aut ad cæteros deinceps libros, vel ad ordinem non recte cohærentem librorum poſteriorum cum prioribus; & conſequenter nihil efficere contra Echardum. Quæ vero Barbavarius ſpeciatim in libro primo, aut prioribus capitibus ſecundi in Opuſculo iſto criminatur, ea tanti non ſunt, ut quemquam movere poſſint; præſertim quum nullo nitatur Auctor ille, verſus finem ſeculi 16. ſcribens, teſtimonio Veterum, nullum proferat MSS. Codicem, neque ſimilia argumenta efficacia, quibus ex adverſo Echardus rem ſuam plane conficit. Ex hoc autem ſpecimine *Cenſuræ* Barbavarii, auguramur etiam in aliis quibuſdam Opuſculis S. Thomæ legitimis repudiandis, ſolis uſum Auctorem illum conjecturis, non ſatis firmis monumentis; atque adeo in recenſione Opuſculorum S. Thomæ longe tutius Echardo fidendum eſſe, quam Barbavario. Lepide profecto etiam Caſimirus Oudin, citata Diſſertatione *de ſcriptis S. Thomæ*, poſtquam cap. 17. num. 1. eos, qui contra Veterum Scriptorum teſtimonium opus aliquod S. Thomæ detrahunt, pro more ſuo appellaverat *mulis protervieres*, vel *in privatis ſuis opinionibus inſanientes*, nihil inurbanam adeo cenſuram, quæ in ipſum regeri poterat, veritus, cap. 21. confeſſus *hujus Opuſculi* de Regimine Principum inter opera S. Thomæ *meminiſſe Veteres omnes*, maluit nihilominus ipſum S. Thomæ abjudicare, & attribuere Ægidio Columnæ. Quid ita? motum ſe dicit præſertim ex MSS. Codd. Anglicanis, & Hibernis, quorum longum texit catalogum, & ex Editionibus antiquioribus Ægidii nomen præferentibus, & nominatim ex Editione Romana, an. 1482. *antequam inter Opuſcula S. Thomæ Aquinatis a FF. Ord. Prædicat. pudore omni abjecto primo loco immitteretur*: ita enim liberaliter ipſemet loquitur. Egregium ſane, & diligentem virum criticum, qui MSS. illos Codd. (ut conjicere facile eſt) & ne quidem editum Ægidii Opuſculum legit, aut de facie novit, priuſquam ſuum hoc pronunciaret ex tripode judicium! Nos & alias vidimus, & illam ipſam editionem in folio parvo, quam Oudin memorat, *Romæ per inclytum virum Magiſtrum Stephanum Planner de Patavia, an. D. milleſimo CCCCLXXXII. die 9. Menſis Maii*, atque Ægidianum ea contentum Opuſculum *de Regimine Principum* conferentes cum Opuſculo S. Thomæ attributo, & inter ejus opera edito, invenimus lucubrationes eſſe invicem omnino diverſas, & ferme nonniſi nudo titulo convenientes. Suum igitur adſcribatur Ægidio Opuſculum *de Regimine Principum*; non contendam, modo & ſuum de eodem argumento S. Thomæ ſervetur. Interim quiſque ex ungue leonem agnoſcat; ſciatque Oudinum livore in viros Religioſos actum, perſæpe inſcite, & impudorate de ipſis fuiſſe obloquutum, & immane quantum conjecturis aberraſſe.

Digitized by Google

tur ; quintus vero Ethica , Politica , Œconomica , hiſque affinia , ut dicebam , Opuſcula. Atque ita fiet , ut ſubjecta materia uniuſcujuſque tomi & claſſis lectoribus , quaſi in ipſo limine , obvia ſit ; & Opuſculorum confuſus ille & impurus codex , (nam & eorum Opuſculorum nullus eſt ordo , & pleraque falſo S. Thomæ inſcribuntur) diſtinctionem & lucem , atque adeo meliorem formam ſortitus , concidet ; ac denique nec ad geſtandum erunt tomi ipſi ſtudioſis, quibus proſpicimus , incommodi ; & pſeudographa ſeorſum in ſingulis tomis, cum quibus habere neceſſitudinem videbuntur, rejici poterunt.

Jam vero in explicando Ariſtotele totus eo incumbit , ut verba diligenter conſideret , eorumque ſenſa fideliter magis , quam eleganter exprimat ; & Sepiam illam atramentum crebro effundentem (ſic enim priſci Ariſtotelem nuncupabant) , ſenſimque fugientem , lynceus ipſe & prudens, tamquam Delius quidem natator, inſequitur , apprehendit , detinet. Quamobrem hiulca explet , complicata aperit , confuſa diſtinguit , mutila ſarcit ; contextum ipſum partitur , diſtribuit , connectit , diſcuſſiſque ambiguitatum nebulis , quæ interdum emergere circa ipſum ſolent , obſcura quæque , breviſſime quidem , ſed attamen ita illuſtrat ut Expoſitoris nomen , nemine penitus diſſentiente , obtinuerit. Et cum a chriſtiana pietate Ariſtotelem deflectere , eamque argumentis , ut ſolet oppugnare animadvertit , vel fortiter adverſus illum pugnat , ejuſque tela retundit ; vel certe commode & pie ubi poteſt interpretatur , cum videlicet anceps & ambigua oratio eſt , & in utramque partem intelligi poteſt. Siquidem & Jureconſulti , dubia interpretanda eſſe in meliorem partem, hoc eſt reo favorabiliorem , monent. Quem ſi recentiores Philoſophiæ profeſſores , cum vel in ſcholis de ſuggeſtu docent, vel Ariſtotelem ſcriptis interpretantur, ſequuti omnes fuiſſent , ſanctiorem in pleriſque haberet Eccleſia faciem ; & tot falſis ac pernicioſis opinionibus , veluti quibuſdam furiis , noſtra juventus imbuta minime agitaretur: quod plane vidit, & ſervari juſſit poſtrema Lateranenſis Synodus. Averroem quoque , quem ob eximiam ejus doctrinam , & in explicando Ariſtotele diligentiam jamdudum ſcholæ admirabantur , Commentato-

Themiſt. apud Poſſev. in Bibliot. ſelecta, lib. 12. Tract. 3.

rem-

remque etiamnum appellant, cum unitatem intellectus, ſequutus Græcos aliquot expoſitores, ſtatuit: vel creationem oppugnat, vel quidquam promit, quod Religioni noſtræ officere poſſe videatur, ita feliciter, cum in expoſitionibus, tum vero in quibuſdam eruditiſſimis libellis, proſternit; ut qui contentione, aut oſtentatione ingenii, Averrois ineptias illas defendendas ſibi ſuſceperunt, non ſemel veritatis vim ſentientes, ſpicula Thomæ validiſſima in illum eſſe confeſſi ſint: & cum de intelligentia Ariſtotelis cum eo Thomas pugnat (pugnat autem frequenter) ægre veritatem diſcerni poſſe dixerunt. Quapropter recte affirmavit Vives, dementiam fuiſſe illam, quæ Averroem Ariſtoteli parem, & D. Thoma ſuperiorem fecit.

Lib. 4. de Cauſis corrupt. Art.

Primus igitur Latinorum Thomas fuit, qui tot Ariſtotelis libros ſuis commentariis eo modo illuſtravit; de Interpretatione ſcilicet, & Poſteriorum in Logica facultate; Phyſicorum, de Cœlo & Mundo, de Generatione & Corruptione, Metheororum, de Anima, de Senſu & Senſili, de Memoria & Reminiſcentia, de Somno & Vigilia in naturali Philoſophia. Sed & in ea, quam Ariſtoteles primam atque divinam vocat, duodecim priores Metaphyſices libros: (nam poſteriores duos vel illa ætas latinos non habuit, vel eſſe adulterinos ac ſuppoſititios arbitratus eſt); & demum Ethicorum, Politicorum, atque Œconomicorum libros omnes accuratiſſime expoſuit. Nam Boetius, & Linconienſis nonniſi unum, aut alterum Ariſtotelis librum interpretati fuerant. Et Albertus Magnus paraphraſtem potius, & ſenſuum magis, quam verborum explanatorem egerat: quamvis in digreſſionibus copioſus admodum ſit, & ſublimis, & de principatu cum Averroe contendat. Factumque eſt omnino percommode, ut Aquinas alia via progreſſus, (breviori ſane & utiliori), atque Albertus fecerat, Ariſtotelem interpretaretur; ut haberent Latini in utroque interpretandi genere, quos imitarentur, principes, Albertum videlicet, & Thomam. Excellunt autem commentarii, quos in libros de Interpretatione, atque de Cœlo & Mundo edidit: nam cum provectioris eſſet ætatis, quando illos edidit, mirum non eſt, ſi propter multiplicem & certam rerum cognitionem, longam-

gamque & diuturnam Auctoris exercitationem, emineant; quos eam ob rem & morte impeditus imperfectos reliquit. Digreditur enim in illis frequenter, copioſe, graviter, perſpicue; Alexandrique, Joannis Grammatici, Simplicii, cæterorumque Græcorum commentarios (ei Latinos redditos ab iis, quos vel domi, vel foris Græcarum literarum peritos alebat) ex ipſis fontibus, non autem ex Averrois lacunis, quemadmodum aliis in locis, exhaurit. Nam cum Græcas literas ætas illa vel contemneret, vel certe non ita magnifaceret, aut etiam negligeret, eas Aquinas vel omnino neſcivit, (3) vel leviter attigit: quamobrem in explicandis vocibus Græcis interdum vel hæret, vel fallitur; ut in quadam præfatione commentariorum ejus de Generatione inſignis Philoſophus, ac Theologus, frater Sixtus Medices præceptor meus, ac omnium genere laudum cumulatiſſimus, paucis lectorem ſubmonuit; & mundi cenſor Eraſmus in adnotationibus in novum Teſtamentum, multis verbis, inurbane profecto, traducit, atque exagitat. Ita enim ſeverus, ſeu potius ſævus in pleroſque pios ac ſobrios auctores Eraſmus extitit, ut omnia in unoquoque numeris omnibus abſolutiſſima requireret; nec aliquando aut quod in tergo eſſet manticæ ſuæ viderit, aut bonum Homerum dormitare (quod dicitur) pateretur. Atqui ille, ut multis rationibus conſequor, majori cum laude exiguos quoſdam & leves Aquinatis, Hilarii, & aliorum Patrum nævos præteriiſſet, aut certe ſi tantummodo, tamquam porrecto indice, adnotaſſet: nunc vero illis exaggerationibus & amplificationibus, quid effecit? quid aſſequutus eſt vir alioquin eruditiſſimus, & nobiliſſimo acerrimoque ingenio præditus? Quamquam non hanc tantum ob rem, ſed & multo magis, quia plus nimium temere, ac frequenter orthodoxæ doctrinæ aut repugnare, aut etiam illudere viſus eſt, ejus nunc ſcripta male audiunt, & majorum decreto vetita ſunt. Sed quantum nunc pertinet ad inſtitutum noſtrum, ipſe profecto utramque

G pro-

(3) Prudenter Vielmius hac ambigua loquendi ratione videtur mediam viam tenere voluiſſe, aut omnino abſtinere a controverſia illa, qua diſputatur de Græcæ linguæ peritia S. Thomæ adſcribenda, vel deneganda, de quo jamdudum etiam inter noſtrates diſſenſio eſt, ut exemplo eſſe poſſunt lucubrationes Guyardi, & Nicolai. Lege Editorem Operum Launoii, in Præfat. ad partem primam Tom. V. Editionis Coloniæ Allobrogum, & elegantem Orationem Italicam de Laudibus S. Thomæ, Genuæ anno 1738. recitatam, & editam ab erudito P. Joſepho Tavella &c.

profeſſus linguam, adnotationes in novum Teſtamentum, deprehenſus in errore, ſepties aut octies inſtauravit; & Vallam orbis cenſorem, atque Jacobum Fabrum, virum doctiſſimum ſæpiſſime arguit: ut ſuo periculo, & horum literatorum hominum exemplo, Theologis viris doctiſſimis aut parcere debuerit, aut mitius profecto cum eis agere.

Itaque huic incommodo cum vellet mederi Aquinas, magnaque luce ad intelligentiam auctorum carere eos intelligeret, qui linguis eſſent deſtituti ac inopes, Græcæ linguæ eruditos ſenior conſuluit, eorumque opera in vertendis Theologis, & Philoſophis uſus frequenter eſt; (4) ut illius incredibilem in exquirenda veritate laborem, & ſummam induſtriam ubique intelligamus.

Porro ut intelligant omnes, quanti illius in Ariſtotelem explicationes fecerint præclari Philoſophi, qui multis annis in ſplendidiſſimis Gymnaſiorum Cathedris interpretantes, & ſuas commentationes ſubinde domi literis mandantes, intimos quoſque & penitiſſimos Ariſtotelis receſſus perſcrutari viſi ſunt, nunc eorum verbis oſtendere aggredior. Etenim Sueſſanus ita alicubi ſcriptum reliquit:

Præfat. in lib. Phyſicor. Ariſt.

Ex his bonæ literæ in Latinos migrarunt; inter quos Thomam Aquinatem noſtrum inveni, cui merito jura exponendi conceſſa ſunt. Hunc habemus non modo in his Phyſicis commentationibus, ſed in omnibus aliis fidum ducem, cui etiam non ſine cauſa nomen Expoſitoris tributum eſt. Illo enim (pace Expoſitorum Græcorum dixerim) curioſior, aut uberior, aut (quod rarum eſt) clarior inventus eſt nemo. Unde, meo quidem judicio, omnis Latii, omniſque Philoſophiæ decus ſemper habendus eſt. Sed & alibi ita (ne putes illum mutaſſe ſententiam, quam alioqui tamquam Euripus quidam, mutare frequenter ſolet:)

Præfat in libros de Anima.

Senſum verborum Ariſtotelis verum, inquantum potero, aſſignabimus, non recedendo a Græcis Expoſitoribus, Themiſtio, Simplicio, & Alexandro; aliquando cum Latinis interpretibus, præſertim cum D. Thoma, qui (pace cæterorum dixerim) dilucide Ariſtotelis libros interpreta- tus

(4) Noſtro Guillelmo de Moerbeka hoc in munere uſum S. Thomam, tradit & comprobat Echardus, Tom. 1. pag. 390. quod etiam de quibuſdam aliis nonnulli opinantur. Ipſemet S. Thomas in Epiſtola nuncupatoria ad Hannibaldum Cardinalem, præfixa *Catena Aurea* in tres poſteriores Evangeliſtas, ſe quorumdam Græcorum Scriptorum in latinam linguam verſionem procuraſſe teſtatur: quod merito cum vielmio mirabatur Antonius Poſſevinus, in *Apparatu Sacro*, ubi de S. Thoma loquebatur.

Digitized by Google

tus eſt; nec ejus commentarios minoris facio his, quæ Græci ſcripſerunt, ut recte intelligenti patet. Petrus autem Pomponatius, in toto orbe celeberrimus, hunc in modum: *Quapropter opinio recitata D. Thomæ, omnium Latinorum (ſententia mea) maximi, imo fortaſſis non minoris aliquo Ariſtotelis Expoſitore, ſive ſit Græcus, ſive ſit Arabs, ſive cujuſcumque ſit, omnibus eſt præponenda; cum & rationi, & auctoritatibus concordet*. At vero Marcus Antonius Zimara: *Nam ubi eſt diſcordia in Philoſophia inter Averroem, & Thomam, difficile eſt videre veritatem*. Addam & Marci Antonii Flaminii verba, hominis elegantioris doctrinæ & ornatiſſimi. *In hoc genere apud Græcos floruere in primis Baſilius magnus, & duo Gregorii, Nyſſenus alter, & alter Nazianzenus; apud Latinos multi quidem, ſed ante omnes, ſine ulla controverſia, Thomas Aquinas, vir ſanctitate morum, & literarum gloria præſtantiſſimus; qui profecto, ſi diſciplinam Ariſtotelis contempſiſſet, pulcherrima illa monimenta nobis non reliquiſſet, quæ tendentibus ad cognitionem ſapientiæ ſplendidiſſimum lumen præferunt, atque in ſacrarii rerum divinarum abdita & penetrabilia, tuto ac facili itinere perducunt*. Sebaſtianus autem Foxius Morxillus, nobiliſſimus ſane Platonis interpres, hunc in modum: *Addam his D. Thomæ Aquinatis, viri in primis ſanctiſſimi, argumenta, quibus eamdem immortalitatem tueri, ac pene demonſtrare mihi videtur*.

Quæſt. de Actione reali.

Solut. Contrad. in dictis Aver. Conc. in 3. Phyſic.

in 12. Ariſt. lib. de prima Philoſ.

Comment. in Phæd. Platonis.

Scripſiſſe autem commentationes ſuas in Ariſtotelem, dum ſub Urbano IV. magna auditorum frequentia Romæ profiteretur, Ptolomæus Lucenſis, qui Neapoli ejus auditor, atque a confeſſionibus fuit, in ſua Hiſtoria ſcribit, quam & in Vaticano, (5) & apud Cardinalem Vitellium Romæ frequenter legi. Libellos autem, qui de Dialecticis, deque Philoſophicis agunt, ait, neque uno loco, neque eodem tempore edidiſſe. Nam permultos eorum cum eſſet doctor, nonnullos vero anteaquam inſignia illi darentur, compoſuit; cujuſmodi fuerunt, omnium ſubtiliſſimi, & pulcherrimi de Ente & eſſentia, & de

Lib. 22. hiſt. Eccleſ. cap. 24.

(5) Hiſtoriam iſtam Eccleſiaſticam Ptolomæi, ſive Tholomæi Lucenſis, quum Scriptores innumeri ex parte, prout occaſio ferebat e MSS. Codd. edidiſſent, integram demum e Codd. Mediolan. Patavino, & Vaticano (illoque fortaſſe eodem, quem heic Vielmius memorat) eductam, Tom. XI. *Scriptorum Rerum Italicarum* inſervit Vir de orbe literario optime meritus, Ludovicus Antonius Muratorius.

Principiis naturæ: quorum priorem viri graviſſimi plures Latini, & Græci (nam græce quoque redditus eſt) peregregiis commentariis, & ſubtiliſſimis diſputationibus exornarunt; poſteriorem ego ſemper ſum admiratus, & Philoſophiæ naturalis librorum, præſertim autem qui de Phiſico auditu ſunt, clavem appellare, cum in ſcholis profiterer, ſolebam. Scripſit autem utrumque prope adoleſcens, vivaciſſimo ingenio, & eruditione incredibili.

Sed jam his enumeratis, ad ejus Theologica monimenta, quæ longe præſtantiora, & plura philoſophicis ſunt, me converto; eaque in tres majores claſſes methodo & ordine diſtribui, ſuoque loco protinus in minores diduci, & ſigillatim expendi poſſe exiſtimo. Siquidem vel ſunt explanationes ſanctarum Scripturarum, vel ſunt commentarii in inſignes Theologos, vel proprio marte ab eo meditata & edita. Hanc autem poſtremam ita partiemur, ut illa primum proponamus, quibus dedita opera catholicæ fidei hoſtes graviſſime oppugnat; ſubinde reliqua, quibus eamdem chriſtianam pietatem explicat, & tuetur. Primam quoque in duas commode, ni fallor, dividere poſſumus. Nam & veteris, & novi Teſtamenti aliquot libros ſcriptis ſuis, tamquam Evangelicus ille Scriba doctus, elucidavit; cum eos de ſuggeſtu ſui temporis homines antea edocuiſſet. Quamobrem aliæ ejus reperiuntur enarrationes in vetus, aliæ in novum Teſtamentum.

Et quidem, quod ad vetus attinet, ſcripſit in librum Job, in unum & quinquaginta Pſalmos, in Eſaiam, in Hieremiam, ejuſque Threnos; &, cum febri laboraret propediem moriturus, Cantica Canticorum, efflagitantibus & excipientibus monachis, ad quos diverterat, breviſſime, & veluti per tranſennam attigit. Sunt autem non contemnendi auctores, qui lucubrationes ejus in Eſaiam præ reliquis hiſce ſuſpiciunt, ſemelque Petrum, & Paulum primarios Apoſtolos abſtruſioris cujuſdam loci interpretes habuiſſe ſcribunt; ut mihi proinde F. Adamus Saſbout, vir alioquin pius, & inſigniter doctus, diſpliceat, cum eos commentarios vel ambigit, vel etiam contendit non eſſe Aquinatis. Quamquam mihi ſcripta ejus in librum Job maxime, ac præ aliis placent: ſunt enim interioris & reconditæ utriuſque literaturæ, tum ſecularis, tum ſan-

ctæ

ctæ refertiſſima: ſunt numeris omnibus abſolutiſſima. Et quamvis primus ille inter Latinos non fuerit, qui librum illum ad literam explicaverit (quod tamen D. Antonino viſum eſt, cui nec Beda, nec Hugo Carenſis Cardinalis, nec Albertus Magnus Thoma antiquiores, cum hæc ſcriberet, in mentem venerunt) eſt tamen is, ut ego quidem ſentio, qui antiquioribus copia & diligentia anteponendus ſit; & quem Lyranus, Dionyſius, recentioresque omnes ſuis ſcholiis, paucis exceptis, ferme compilant. Interpretatus ſubinde eſt Evangelium Joannis (ut ad novum Teſtamentum progrediamur) & Epiſtolas D. Pauli omnes, & ſeorſum deinde duobus libellis Orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam. Sed & cum Urbanus Pontifex ex veterum commentariis luculentius ſibi, univerſæque Eccleſiæ Evangelia explicari vehementer cuperet; demandaſſetque D. Thomæ Matthæum, & Marcum, Divoque Bonaventuræ Lucam, & Joannem, tamquam iis, quorum doctrina & ſanctitas in Eccleſia maxime elucerent; & Seraphicus Doctor delatam ſibi provinciam, ob præfecturam ſupremam Franciſcanæ familiæ, quam gerebat, explere impeditus nequiret; ea omnia Aquinas ita venuſte & graviter quorumdam Patrum Græcorum, & Latinorum verbis elucidavit, ut cum admodum plures illi ſint, qui citantur, ſi nomina tamen ademeris, non admodum ægre unius dumtaxat auctoris lucubratio videri poſſit: quod opus, Græcos nonnullos, atque Latinos imitatus, Catenam auream commoda & apta inſcriptione vocavit. (6) In quo utrum magis admireris, laborem videlicet, an judicium, nondum ſatis exploratum habeo: ſuperat enim & vincit utrumque cogitationem omnem. Squallebant primæ notæ, & auctoritatis Patrum in ſanctam Scripturam commentarii; & manibus ſtudioſorum nequaquam (ſicut ætate noſtra plane beatiſſima fit) evolvebantur; vel quia eorum plures Græcas literas ignorarent; vel quia codices ad manum paratos, quod venirent carius, & ſtudioſis obvii non eſſent, non haberent; vel quia Patrum prolixita-

3. par. Hiſt. tit. 18. cap. 11.

Sixt. Senenſ. Bibl. Sanct. lib. 4.

G 3 tem

(6) Veremur ne aureum D. Thomæ opus merito commendans Vielmius, in ejus tamen laudando titulo hallucinetur, quum nomen *Catenæ Aureæ*, non S. Thomam, ſed poſteriores tantum agnoſcat auctores, ſi fides ſit Scriptoribus graviſſimis, & nominatim Sixto Senenſi in *Bibliotheca Sancta*, ubi de S. Thoma ſermonem habet, & Bernardo de Rubeis, in admonitione prævia ad Tom. IV. Opp. S. Thom. edit. Bettinelli, num. IV.

tem (fuſiores enim veteres ſunt & populares) ad alia feſtinantes faſtidirent. Eos Aquinas impiger excuſſit, deterſit, evolvit; eorumque nonnullos, vel paternis ſumptibus, vel Principum, & amicorum liberalitate loqui latine fecit: quodque ei peregregium & illuſtre ad Evangeliorum intelligentiam viſum eſt, celeri, & præſtanti judicio, ex omnibus hinc inde, veluti ſedula Apis, ſelegit, & feliciter conglutinavit. Circumferuntur in Matthæum quoque, & in Epiſtolas ſeptem, quas Canonicas vocant, atque poſtremo in Apocalypſim commentarii, ſive expoſitiones, ejus nomini inſcriptæ: quarum aliquot quaterniones (earum ſcilicet, quæ in Matthæum) ego adoleſcens, cum Veronæ in Cœnobio Sanctæ Anaſtaſiæ, Religioni, & literis operam darem, deprehendi eſſe fratris Petri Scaligeri Ordinis noſtri, & Veronenſis Epiſcopi; cujus ſcripta in communi Bibliotheca ſervabantur; (7) & paulo poſt, veluti repetundarum reum, admonui magiſtrum noſtrum, & præceptorem meum clariſſimum, fratrem Bartholomæum Spinam, qui id opus omnium primus typis in vulgus dederat, quod lectori factum non indicaſſet. Verum hi commentarii, quos modo enumeravi, nec ſtylo, nec diligentia cum aliis hujus Doctoris conferri poſſunt; nec a ſectatoribus, alumniſque Thomæ antiquioribus citantur (quod viderim:) ut pluribus conjecturis eos vel non eſſe veros fœtus Aquinatis noſtri hæſitare liceat, vel certe eum non ſupremam illis manum impoſuiſſe. In Joannem autem, & in Epiſtolas D. Pauli omnes ipſiſſimus (ut Plautino vocabulo utar)

Sed & nuperrime prodiit expoſitio ſuper Geneſim, ejus nomini inſcripta, quæ mihi addititia profecto videtur.

(7) Scriptis illis Scaligeri, e Veronenſi Bibliotheca jampridem neſcio quo aſportatis, non potuimus eorum collatione rem iſtam illuſtrare. Echardus tamen, Tomo I. pag. 125. & 417. collatione Codd. Pariſienſium, luce meridiana clarius demonſtravit, Commentarium in Matthæum a Spina ſub nomine S.Thomæ primum editum, an. 1527. germanum eſſe fœtum S. Doctoris plane diverſum a Commentario Scaligeri; indeque deceptum Vielmium evicit. Nemo autem, opinor, ita difficilis erit, ut nolit Vielmio hunc condonare errorem adoleſcentiæ. Cæterum haud ſatis aſſequor, cur Antonius Poſſevinus in *Apparatu Sacro*, loquens de S. Thoma, & Oudin citatus, cap. 18. quæſt. 3. & columna 582. ejuſdem Tom. III. nolint Commentarium iſtum in Matthæum S.Thomæ attribuere, ſed adjudicare conſtanter malint Petro de Andria S. Thomæ diſcipulo; quum alias Oudin priori loco, & Poſſevinus, ubi agit de hoc Petro, mori teſtimoniis Veterum, affirment iſtum Commentarium fuiſſe a Petro de Andria ex ore S.Thomæ dicentis exceptum, & deſcriptum. An operis alicujus auctor vocandus ille eſt, qui ex ore alterius recitantis ſcribit? An non potius ille verus auctor haberi debet, qui proprio marte meditatam lucubrationem e ſuggeſtu, diſcipulis ſcribentibus, recitat? Jamvero ſi Commentarius hic in Matthæum genuinus eſt fœtus S. Thomæ, ſponte ſua faceſſunt imposturæ, quibus Petrus a Valle-Clauſa, Diatribb. 3. & 6. noſtros traducit, & nominatim Spinam, quaſi *absque veri auctoris ignoratione malitioſe* hoc opus S. Thomæ ſuppoſuerint.

tar) ubique eſt, hoc eſt, diligentiſſimus, & locupletiſſimus: omnia partitur, connectit, perpendit; atque ita denſus eſt in citandis ſacris literis, & locis conſimilibus, addens præterea numeros ſectionum, quas capita nuncupamus, ut quivis Theologorum alius; & perinde ac ſi earum indicem (concordantias noſtri vocant, Hugonis Carenſis Cardinalis opus, teſte Platina) ob oculos, cum dictaret, jugiter habuerit. Quod quamquam habere ſpeciem oſtentationis quamdam, rebuſque caliginem inducere, dictionis curſum impedire, & ingeniis nonnihil detrimenti adferre Ariſtarchis quibuſdam, rimoſæ & perfluentis memoriæ hominibus, videatur; fuerunt tamen, nedum ſæculo Aquinatis: (nam hoc ille prorſus cum ejus ætatis ſcriptoribus commune habuit) verum etiam florentiſſimo noſtro, qui ſylvam illam conſimilium locorum, & numerorum vehementer probarent; quod lectori veluti ad manus collectionem Scripturarum, quæ certiſſima clavis eſt ad eas intelligendas, exhibeat; ſegneſque, & oſcitantes ad cauſas dicendi inveſtigandas (quæ a D. Hilario, & cæteris præſtantiſſimis viris tantopere exiguntur) non modo invitet & *Comment. in Matth. c. 25.* alliciat, ſed etiam ſua quadam importunitate urgeat & extimulet; habeatque ſtudioſus in promptu, unde Scripturarum ſenſum poſſit verius referre (quod idem Hilarius *Lib. 1. de Trinitate.* munus eſſe optimi interpretis dixit) quam afferre. Sed nihilominus maneat ſuum unicuique pulchrum. Ubi vero lectionem geminam habet, utramque confert, utramque interpretatur. Sed & crebro digreditur, moxque revertitur: loca, quæ in ſpeciem pugnare inter ſe videntur, magna cum perſpicuitate conciliat, difficultates tollit; & veterum placita, ubi diſſentire videntur, in medium (quod explanatoris officium eſt) integra fide affert. *Commentatorum*, inquit D. Hieronymus *officium eſt, aliorum explanationes ediſſerere; quæ obſcure dicta ſunt, plano ſermone manifeſtare; multorum ſententias replicare, & dicere: hunc locum quidam ſic ediſſerunt; alii ſic interpretantur; & ſenſum ſuum, & intelligentiam his teſtimoniis, & hac ratione nituntur firmare: ut prudens lector, cum diverſas explanationes legerit, & multorum vel probanda didicerit, judicet quid verius ſit; & quaſi bonus trapezita, adulterinæ monetæ pecuniam reprobet*. Sed ſupervacaneum puto teſtimoniis, vel exem- *Apolog. adv. Ruf. lib. 1.*

plis hoc loco oſtendere, ſanctum noſtrum Doctorem, Hieronymi hunc pulcherrimum canonem, & uſu eorum omnium receptum, qui ſacros, vel prophanos auctores cum laude explicaverunt, ſervaſſe: quin potius tranſibo, ut inſtitui, ad ſecundam claſſem.

Commentationes ſcripſiſſe fertur in librum Dionyſii Areopagitæ de Divinis nominibus: eas ego, cum non legerim, nec de illis quid dicam amplius habeo. Quas vero in acutiſſimos & doctiſſimos Boetii libellos de Hebdomadibus, deque Trinitate conſcripſit, ſtudioſi omnes plurimi faciunt; præcipue autem illas, quæ in librum de Trinitate extant. Siquidem in libro de Hebdomadibus aridior eſt, ut mihi ſane videtur: nam ſolis partiendis, & declarandis auctoris verbis, neglectis videlicet diſputationibus, perpetuo incumbit. In eo autem de Trinitate mirum eſt, quam eſt fœcundus, quam eſt perſpicax, & divinæ pariter, ac humanæ Philoſophiæ dives! Etenim ſex quæſtionibus, quas ſex unionibus orientalibus inſignioribus longe præfero, integrum opus abſolvit. At vero, qui in librum ejuſdem Boetii de Conſolatione commentarii ejus nomini inſcribuntur, Thomæ non ſunt, ſed alius Dominicani; ut ego ante annos viginti in Cydonienſi ſancti Nicolai ejuſdem ordinis Monaſterio (8), vetuſtum nactus codicem (nominis quamquam auctoris oblitus, & patriæ) me legiſſe memini, & ſtylus omnino conſentit. Nam & cum eruditiſſimi permulti hujus nominis fuerint, facile aliorum auctorum monumenta huic noſtro, qui tamquam Sol inter doctores habebatur, inſcripta fuerunt, vel errore, ut fit, vel illius ſectatorum quorumdam inepto judicio, atque imprudenti in illum amore; vel

(8) Cydonienſi Monaſterio ſimul cum Creta univerſa, in qua ſitum erat, a Turcis capto, & direpto, periiſſe etiam barbara manu Codicem heic memoratum credendum eſt. Si ex Vielmii memoria auctoris patria, & nomen Codici illi affixum non excidiſſet, inde fortaſſe potuiſſent confirmari, quæ de auctore vero illius Commentarii conjectantur, poſt Sixtum Senenſem lib. 4. bibliothecæ Sanctæ, *V. Thomas Anglicus*, alii multi viri critici, Thomæ Jorgio, aut Thomæ Guallenſi, noſtris Anglicanis Scriptoribus, Commentarium eumdem attribuentes: & conſequenter cum Vielmio aſſirmantes auctorem verum fuiſſe aliquem nomine Thomam, atque ex nominis communitate natum eſſe, ut S. Thomæ Aquinati adſcriberetur. Caute tamen Vielmius ab ea abſtinuit omnino fallaci conjectura, quam memorati critici præterea addunt, nimirum etiam patrium agnomen *Anglici* affine agnomini *Angelici*, quo S. Thomas ſolet inſigniri, in cauſſa fuiſſe illius ſuppoſitionis. Jam tum Commentarius iſte, & alii quoque nonnulli ſub S. Thomæ nomine circumferebantur, quando Doctor Sanctus aliis quidem honorificentiſſimis titulis inſignitus, hoc tamen *Angelici* nondum cœperat decorari. Conſule Echarlum, Tom. I. pag. 509. & 601.

Digitized by Google

vel etiam, quod cum ſanctitatis eximiæ, ac incomparabilis doctrinæ Thomæ Aquinatis fama totum orbem pervaſiſſet, omnibuſque in locis perſonaret, auctoritaſque ſumma haberetur, & nullus eſſet, aut ſæcularibus, aut divinis literis præditus, qui ſcripta illius (modo candidus æſtimator eſſet) chariſſima non haberet, ac undique conquiſita, muſæum ſuum, aut bibliothecam tanto auctore ditaturus, quovis inſigni pretio non emeret; fecit Notariorum avaritia, ut fœtus multorum auctorum Aquinati ſupponerentur, vigiliæque & labores multorum uni Thomæ adſcriberentur. Quod Ariſtoteli quoque eveniſſe, cum celeberrimam illam bibliothecam Ptolomæus inſtitueret, ſcriptores plerique omnes teſtantur. Etenim & flumina ad mare properant, & omni habenti dabitur. Sed longe execrabilius eſt, quod nequam & ſceleſti homines quidam, vel ad Thomæ auctoritatem elevandam (quod videlicet alibi eum docuiſſe aliter, & contrarie conſtaret) vel, ut ego quidem arbitror, ad ſuam aliquam opinionem, quæ in controverſiam verti ſoleret, tanti viri teſtimonio fulciendam & comprobandam egerunt: nam ejus ſcriptis alicubi adulterina quædam inſeruerunt. Cujus rei cauſa Stephanus Uſuſmaris Generalis Magiſter Ordinis Prædicatorum prudentiſſimus & doctiſſimus, me auctore, publico judicio Venetiis coram Archinto Epiſcopo Salluciarum, & nuncio Apoſtolico, Typographum quemdam ſemel convenit; & alibi rem totam pando (9).

Hujus quoque rei Illuſtriſſ. Cardinalis Juſtinianus teſtis.

Sed ut eo, unde noſtra deflexit oratio, revertamur, expoſuit quoque ſubtiliter & copioſe duas Decretales dogmaticas in celebri frequentique Synodo Lateranenſi ſub Inno-

(9) Ecce jam tertio indicatum aliud opus Auctoris noſtri aut latens, aut omiſſum, in quo res iſta narrabatur. Non eſſet tamen difficile rem eamdem aſſequi conjecturis graviſſimis, ſi animum attenderemus ad editiones operum quorumdam S. Thomæ, factis Venetiis circa tempora illa, quibus Stephanus Uſuſmaris, Ordinis noſtri Magiſter Generalis, ſocium habens Vincentium Juſtinianum, Venetias venerat, hoc eſt circa annum 1555. Atque inde poſſemus par pari rependere iis, qui noſtros Editores etiam Romanos (quos inter primas tenebat Vincentius ille Juſtinianus) accuſant viciati poſtea in ſubſequentibus editionibus cujuſdam S. Thomæ Commentarii in Epiſtolas Apoſtoli Pauli. Quanto verius eſſet affirmandum, jure graviterque Juſtinianum in Editione Romana e Commentariis S. Thomæ expunxiſſe adulterina illa, quæ Venetiis ante paucos annos, auctore Vielmio, publico judicio noverat fuiſſe a falſario Typographo intruſa? Adeas annotationem litera O ad Lectionem VI. Comment. S. Thom. in cap. III. Epiſt. ad Galatas, pag. 401. in Editione Joan. Nicolaii, & ſimilem annotationem in Editione facta, curante Remigio Florentino, Venetiis apud Juntas 1562. quam annotationem exſcripſit in nupera Editione Veneta Bettinelli Bernardus-Maria de Rubeis.

Innocentio III, decem circiter annos anteaquam naſceretur, editas. Cumque Petri Lombardi opus, quod Sententiarum inſcribitur, gymnaſia, eruditique omnes præſtantiſſimum in Theologia eſſe communi conſenſione arbitrarentur, ac de ſuggeſtu in ſcholis interpretarentur, & præconiis attollerent, Thomas quidem juvenis ſuis commentariis, & diſputationibus antea latiſſime; deinde vero ætate provectior, Annibaldo (10) Cardinali magnopere efflagitante, contracte rurſum & preſſius illuſtravit. Utrumque opus ſuas meretur laudes: verum, quod prius recenſui, uſuque ſtudioſorum & manibus notius eſt, & per excellentiam Scriptum nominari ſolet, tanti, ut ego quidem ſentio, eſt, ut fruſtra & inepte Cancellarius Pariſienſis Gerſon, Altiſiodorenſi, Durando, Bonaventuræque primas, præterito Thoma, in ſententiis Lombardi explicandis tribuerit. Nihil enim præaltum & incomparabile ejus ingenium vel præſtantis doctrinæ, vel ſolertis induſtriæ, vel ſubtilioris artis, vel facundæ memoriæ ſubterfugit: tanta ex Græcis, Arabibuſque Philoſophis; tanta ex Latinis veteris, & novi Teſtamenti enarrationibus præſidia in illis diſputationibus comparat, ea arte, & differendi ratione progreditur; ut ſit Durandus quamtumvis acris acutique ingenii, ſit D. Bonaventura quamtumvis pius & in explicandis verbis Magiſtri diligens, Altiſiodorenſiſque quamtumvis doctus & copioſus, fruſtra Thomæ in enodandis Lombardi ſententiis aut præferuntur, aut etiam exæquantur. Et Durandus, quem plerique omnes Pariſiis, ut audio, cæteris præferunt, ubi Thomas ſilet, vel elinguis certe eſt, vel admodum jejunus & ſterilis: & cum a Thoma recedit (recedit autem non raro) in Syrtes, ac vortices rapida vertigine ruit. Sententiarii vero poſteriores, quorum plures eſſe cumulatiſſimis laudibus extollendos ego & fateor, & contendo, quemadmodum frequentiſſime Thomæ aquam in ſuos alveos derivant, & ſemina ex eo mutuantur, quibus uberrimas fruges demetere ſolent, ut ille propterea cum Samſone merito eos ſic compellare poſ- *Judicum cap. 14.*
ſit: *Niſi araſſetis in vitula mea, non inveniſſetis propoſitionem*

(10) Mirandum Vielmium, qui ſe Ptholomæum Lucenſem frequenter legiſſe paulo ante dixerat, non deprehendiſſe hoc Scriptum ſecundum in libros Sententiarum ab auctore illo, lib. 22. *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, cap. 23. & merito quidem non S. Thomæ tamquam ejus opus attribui, ſed noſtro Hannibaldo Cardinali Hannibalenſi.

nem meam; ita ſponte ſua Gerſonem cenſuræ illius iniquæ atque præpoſteræ, rogati ſententiam, facile redarguerent. Verum enim vero eruditos non latet, cur doctrinam Thomæ Gerſon ille male interdum tractarit; tantumque Solem, ſideribus interpoſitis, obſcurare, ac a noſtris oculis amovere conatus ſit. *Sed fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum.*

Progrediamur autem ad poſtremam claſſem, in quà eas lucubrationes primum ſtatuebamus, quas adverſus chriſtianæ pietatis hoſtes fortiter ſcripſit. In quibus eſt libellus ad Urbanum Pontificem contra errores Græcorum inſignis, & hiſce calamitoſis temporibus, in quibus Neoterici in utramque partem vehementer peccant, admodum opportunus: etenim aut ingrati, ac temerarii Sanctorum auctoritati detrahunt, aut in efferendis illis modum imprudentes excedunt. At vero eo opere D. Thomas pie, & circumſpectione adhibita, interpretari procerum Patrum ſententias docet, nec temere de eorum ſenſu judicare: rurſumque eos nec eſſe, nec dici poſſe Patres fidei (quod nihilominus Thomas Waldenſis alicubi, teſtimoniis Auguſtini, & Bedæ non recte intellectis, dici poſſe exiſtimavit) id enim Chriſti Salvatoris noſtri epitheton eſt, ſed expoſitores magis atque doctores; & in priori parte Summæ, quantum illis tribuendum ſit, luculenter oſtendit. Libellum hunc confeſtim alius ſequitur, qui contra Græcos, Armenos, & Saracenos ad Antiochenum Cantorem inſcribitur; quo craſſam, & plane abſurdam earum gentium de Trinitate divinarum perſonarum, de Incarnatione, & morte Domini, deque quibuſdam aliis dogmatibus noſtris intelligentiam, plana & diſerta doctrina refellit. Sed libelli illi duo, quorum altero retrahentes ab ingreſſu Religionis, altero impugnantes Religionem redarguit, tanta ſunt eruditione, copia, & ſubtilitate referti, ut nonniſi accuratiſſime evolvendi ſint, & magno ſtudio legendi. Ardet enim profecto ſanctiſſimus Doctor in eis, tonatque adverſus impios, ac fulgurat. Quemadmodum etiam fecit in graviſſimo illo opere, & numeris omnibus perfectiſſimo, quod in quatuor libros partitum, adverſus Gentes pro Religione noſtra edidit: ita enim fortiter & copioſe, cum impietatem ethnicam evertit, tum pro verita-

Tom. 1. lib. 2. cap. 22.

te orthodoxæ fidei pugnat, ut auſim profecto abſque alicujus injuria affirmare, veteres omnes, qui plures & graviſſimi viri fuerunt, magno intervallo ab Aquinate noſtro, in eo volumine, doctrina & ingenii acumine ſuperari; quamquam orationis nitore, & ornamentis longe illis inferior delicatioribus hiſce Latinæ linguæ ſtudioſis videatur. Hieronymus Apologeticum Tertulliani, libellumque Cypriani de Idolorum vanitate, atque Lactantii Inſtitutiones juſtis præconiis effert: *Quid*, inquit, *Tertulliano eruditius? quid eo acutius? Apologeticus ejus, & contra Gentes libri cunctam ſæculi obtinent diſciplinam*. Et de Cypriano ait: *Cyprianus, quod Idola Dii non ſint, qua brevitate, qua hiſtoriarum omnium ſcientia, quorum verborum & ſenſuum ſplendore perſtrinxit?* Et de Lactantio: *Quis mihi interdicere poteſt, ne legam Inſtitutionum ejus libros, quibus contra Gentes ſcripſit fortiſſime?* Facturus quid, rogo, ſi Thomæ volumina hæc legiſſet? Liceat illud Tertulliani hic uſurpare: *Si tanti vitreum, quanti verum Margaritum?*

Epiſt. 84. *Ibid.* *Epiſt. 65.* *Ad Martyres.*

Confer, Vir Eruditissime, argumenta, quibus toto illo opere Thomas aggreditur Ethnicos, cum illis, quibus in eoſdem plerique veteres uſi ſunt, & facile, num judicium me fallat, intelliges. Perſpicies profecto illos veluti in pulvere, Aquinatem autem in adamante ſcripſiſſe; hoc eſt, verius, ac præ cæteris æternitati id opus commendaſſe. Excipio nihilominus D. Auguſtini libros de Civitate Dei, qui ſane & ipſi nulla verborum magnitudine, nulla orationis amplitudine & eloquentia digne laudari queunt. Quamobrem Petrus Pomponatius, Philoſophorum ſuæ tempeſtatis nemini ſecundus, & qui ad diſſolvendam chriſtianæ vitæ diſciplinam, corrumpendamque juventutem edidiſſe de animæ noſtræ mortalitate libellum quemdam creditus eſt, vim & ſplendorem earum rationum, quibus eo opere Thomas evincit, Chriſtianos nequaquam levibus conjecturis, vel inanibus argumentis, quinimo validiſſimis & graviſſimis rationibus ductos cœleſti doctrinæ aſſentiri, admiratus ab unguibus, ut ajunt, leonem, dixit; *Aquinatem eſſe ſine dubio lumen chriſtiani nominis*. Sed & Joannes Baptiſta Egnatius civis meus, qui Venetam Juventutem multos annos, tum de ſuggeſtu docendo, tum ſcribendo, in bonis literis egregie inſtituit, cum id opus

De immortalitate animæ, cap. 15.

accu-

accurate evolviſſet. *Tanti*, inquit, *ſemper Aquinatis Thomæ auctoritas in omni ſcriptorum genere fuit; is tuendæ, augendæque chriſtianæ pietatis ardor; ea vitæ puritas, ac ſanctitas; ut a Divis Petro, & Paulo, reliquiſque noſtræ Religionis heroibus; aut primus, aut ſiquis non facile hoc conceſſerit, ut primum eum cenſeat, nulli ſaltem primi poſt Petrum, ac Paulum, omnes cum Thoma ſecundi numerari debeant.* Et paulo inferius: *Ille igitur Aquinas cum infinita alia ingenii fœcundiſſimi ac feliciſſimi monimenta reliquit, quæ in uſum chriſtianæ pietatis elaboravit, tum hoc ipſum, quod contra Gentes, ſeu mavis, contra Gentiles inſcripſit: quod opus ad multorum veterum exemplum conſcriptum, ſic facile excellit, ut nec Græci, nec noſtri, quicumque in hoc curriculo deſudarunt, conferri cum Thoma poſſint. Scripſit contra Gentes egregium olim volumen Tatianus, ſcripſit Apollinaris Laodicenus, ſcripſit hoc pene argumento Septimius Florens Tertullianus Apologeticum, ſcripſit denique ſuas Firmianus Inſtitutiones, ut omittam innumeros alios; qui omnes, ſi cum D. Thoma comparentur, oleum & operam perdidiſſe videri poſſint.* Hem potuit tantum opus verbis diſertioribus, aut magis illuſtribus, a commendatiſſimo viro commendari? Divus etiam Antoninus ita de eo ſcriptum reliquit: *& qui contra Gentes volumen id Aquinatis legerunt, facile aſſentiuntur, quod, cum in edendo eo opere Thomas parturiret, viſus ita plerumque in contemplatione ſit, ut abalienatus, ac plane ſejunctus ab externis ſenſibus, & corporea mole videretur.* Primo libro agit de Deo, deque attributis, ut loquuntur, & perfectionibus illis, quas, uti Dominus eſt, ſibi vendicat. Secundo de emanatione creaturarum, & de affectionibus, ac diſtinctione earum; præſertim autem ſubſtantiæ intellectualis, circa quam (quod ea omnium præſtantiſſima ſit) fuſius verſatur. Tertio docet, quo ordine, tamquam recurſu, & circulo quodam, univerſa, ipſaque imprimis natura intelligens, in eumdem ſuum Opificem, & finem revertitur. Quarto autem de ſupereminentiſſimæ Triadis, Incarnationiſque Filii Dei, & ſanctorum ſignaculorum myſteriis, quibus Eccleſiam ſuam ſanctificari, & ab impiorum conventibus ſecerni voluit; deque finali noſtra Reſurrectione, & Judicio, Mundique ſubſequuturo Judicium

In front. lib. D. Th. con. Gent.

Ibidem.

3. par. Hiſt. cap. 10.

cium ſtatu, ita tractat; ut non cum pomilionibus, hoc eſt, cum Poetis & fabuloſis ſcriptoribus, aut cum indocta multitudine, quæ nugis, & deliramentis anilibus niti ſolet (quæ omnia, ut falſa ineptaque eſſe viderentur, ſatis fuit Lactantio, Arnobio, Theophylo, Tertulliano, Tatiano ea expoſuiſſe) verum cum Gigantibus; hoc eſt, cum eruditiſſimis & acutiſſimis Philoſophis, tum Hæreſiarchis, in utraque Philoſophia verſatiſſimis, qui ſuis cavillis & impoſturis montes tollere, & cœlo velle formidinem incutere videbantur; cum his inquam, cominus manus conſeruit, ipſorumque armis illos ſtravit, ac jugulavit. Cumque hoc vitio laborare ex noſtris, qui in adverſarios ſcribunt, complures invenias, quo Manichæos laboraſſe ad Honoratum Auguſtinus ſcribit: (frigidiores enim ſunt & languidi, cum noſtra tuentur; at vero in explodendis alienis, acres & robuſti;) Aquinas nullum ſemper non movet lapidem, & non magis diſertus & copioſus in refellendis adverſariorum mendaciis & impoſturis eſt, quam in tuenda comprobandaque chriſtiana pietate firmus, certus, & diligens. Servavit enim prudentiſſimus vir, quod ſe Auguſtinus ſervare alicubi ſignificavit, ipſaque egregia in alios diſſerendi ratio poſtulat, *ut ſeparatis nugis locorum communium* (Auguſtini hæc verba ſunt) *res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione confligeret*: Et cum ex noſtris permultos reperias, qui ſtudio tuendæ veritatis adverſus illius hoſtes, aliquando in alteram, & contrariam partem plus nimium improbitate adverſariorum commoti declinant; hunc tamen ſemper unam ſequi orthodoxam pietatem invenies, nec aut diſputationis calore, aut quod plus nimium ad victoriam contendat, vel latum unguem ad dexteram, vel ad ſiniſtram deflectere. Objecit Lactantius Cypriano, &, ut mihi quidem videtur, docte & graviter, quod Demetrianum, Prophetarum atque Apoſtolorum teſtimoniis, quæ vir prophanus, quemadmodum Ethnici omnes, futilia, nulliuſque ponderis eſſe exiſtimabat, aggreſſus fuiſſet; & non magis Poetarum, atque Philoſophorum, quorum ille auctoritatem ſuſcipiebat, uſus eſſet: in quem quoque ſcopulum Joannes Grammaticus, Tritheitarum præfectus, cum Ariſtotele pro Religione noſtra congrediens, non ſemel illiſit. Quamobrem auguſtiſſimam illam

De gratia novi Teſtamenti, Epiſt. 140.

illam & ſacroſanctam temporis & genituræ mundi narrationem, quam vertex Prophetarum Moſes ſub initium libri Geneſis recenſet, Simplicius Philoſophus, qui pro Ariſtotele Philoppono reſpondet, fabuloſam traditionem, & quæ ab Ægyptiorum neniis originem duxerit, inceſto & ſacrilego ore vocavit. Longe ab hoc errore abeſt Aquinas: etenim non niſi argumentis, quæ a naturæ luce pendent, in Ethnicos pugnat, quorum pleriſque eos vel invitos aſſentiri cogit; quod, quantum ferat materia, certiſſimæ demonſtrationes habeantur. Hæreticos autem, qui Scripturas ſanctas ſe recipere profitentur, earum præcipue teſtimoniis reiicit; ac illorum ſeditioſa thuribula in laminas, tamquam de mandato Domini, protrahit, & ad altare adhibet; hoc eſt, eſſe illa falſa & impura divinis oraculis convincit. Sed & ut catholicis oſtenderet, quam ſit ſacræ Scripturæ affinis & arcta neceſſitudine humana ratio juncta (quod illis neque levem, neque contemnendam afferre voluptatem ſolet) in calce capitum libri Scripturarum loca, quæ inſtituto ejus favent, copioſe adducit.

Comment. in 8. Phyſic.

Sed ad poſtremam monumentorum ejus claſſem alia quædam attinere dicebamus, in quibus ſunt problemata miſcellanea, quæ duodecim, ut Pariſienſes appellant, Quodlibetis eruditis, & facili brevitate enucleatis omnium primus edidit, atque diviſit. Et ſubinde diſputationes, quas cum doctiſſimis viris in templis, inque Gymnaſiorum ſcholis congrediens (excipientibus forte notariis, quod antiquorum Patrum tempeſtate fieri ſolebat) meditatus eſt. Sunt autem inſcriptæ, Quæſtiones de potentia Dei, de anima, de virtutibus, de malo, deque ſpiritualibus creaturis: Quæſtiones Diſputatas univerſum corpus appellant. Id dixeris manum quamdam in quinque pulcherrimos digitos partitam. Opus varium eſt, ſubtile, floridum, & copioſum; ita, ut nuſquam alibi ſic diſerte & copioſe loqui auctor videatur. Sunt autem illius ſectatores quidam, qui hoc volumen cæteris ejus ſcriptis præſtare cenſeant, & laudare numquam deſinant: quod, ut ego non improbo, ita longe mihi magis probari Summam Theologiæ fateor. Cujus operis auguſtiſſimi præſtantiam, ſi mihi ſint linguæ centum, oraque centum, ſi cuncta corporis mei membra vertantur in linguas, & omnes artus huma-

humana voce reſonent, nec plene narraverim, nec dignum aliquid ejus magnitudine & majeſtate dixerim. Res, quæ tractantur, divinæ ſunt; ſententiæ ſublimes, doctrina conſtans, & ſubtilis; ſtylus brevis, & nitidus; ordo pulcherrimus; methodus vero incomparabilis. Ita enim quæſita inter ſe nectit, ut aliud ex alio, poſterius ex priori inſtar catenæ pendere, & lucem, ac robur accipere videantur. Quamobrem ex notioribus ſemper progreditur, hoc eſt, ex antea expoſitis & conſtitutis: omnia ſuis locis collocantur: nullas inanes repetitiones ibi reperias, nihil præpoſterum, nihil ſupervacaneum & redundans, nihil mutilum & conciſum; ita, ut nimia brevitas obſcuritatem parere poſſit. Si peregregio, & perilluſtri volumini huic quicquam addideris, monſtroſum; ſi ademeris, mancum & curtum; ſi inverteris, diſtortum atque deforme, eruditorum omnium conſenſu, efficies. Quare & Dionyſius Carthuſianus non ita pridem, & nuper quoque Epiſcopus quidam egregie doctus (11) fruſtra, ut ego quidem ſentio, contrahere id opus conati ſunt: corpus enim quoddam manibus, pedibuſque ferme detruncatum mundo ſpectandum exhibuerunt. Servat autem, ut frequentius, ſubtiliſſimum ac pulcherrimum hoc artificium in collocandis argumentis, quæ de more pro falſa opinione tamquam in veſtibulo percunctationum, quas articulos vocat, afferre ſolet, cujus neque apud veteres, neque apud recentes auctores ſimile adhuc ego inveni; quod, ut arbitror, Dionyſium, & Epiſcopum illum omnino latuit. Etenim argumentum, quod in aciem ſecundo loco inſtruit, ita diſpoſitum eſt, ut nedum oppugnare directe poſſit ipſam veritatem, quam in corpore docet, & concluſionem appellat, ſed eam quoque reſponſionem, qua nititur diſſolvere argumentum primum; & rurſum ita tertium diſponit, ut ſolutionem, quam ad ſecundum affert, tamquam replica, ut loquuntur, infringere poſſe videatur: ut non tam nova argumenta, quam replicationes adverſus reſponſiones argumentorum (ſi penitius tamen, & ut dicitur, ad vivum uſque materiæ corpus reſecaveris) ſecun-

(11) Niſi fallimur, innuere vult Vielmius Bernardum Bonjoannem, Epiſcopum Camertinum, qui ante paucos annos ediderat, & Pio IV. dicaverat opus inſcriptum *Epitome in univerſam D. Thomæ Aquinatis Summam*.

ſecundum, & tertium eſſe deprehendas; ac proinde in ſolutione ultimi argumenti ſita ferme eſſe ſoleat abſoluta totius veritatis cognitio : ut ſi Doctoris ſubtilis epitheton alicui concedendum ſit, ante Scholaſticos omnes, & præ illis omnibus, ſubtiliſſimus omnium Thomas, ſive artem ſpectes, ſive judicium & acumen, nominandus ſit. Et poterat profecto Cardanus juſtiſſimis argumentis hunc commendare a ſubtilitate, ab ingenio & arte, & parem ei concedere locum (quando noluiſſet ſuperiorem dare) cum clariſſimis illis aut decem, aut undecim auctoribus, quos multis præconiis, & merito quidem, celebrat, lib. 16. de ſubtilitate. Quinimo & cum Ptolomæo Alexandrino, Hippocrate, Coo, & Plotino, quos ſupergreſſos eſſe ait humanas vires, ac propiores fuiſſe cuipiam divinitati. Sed, ſi verſatus Cardanus in hujus Doctoris ſcriptis fuiſſet, in noſtram ultro, ut exiſtimo, concederet ſententiam. Itaque, ut ad Summam D. Thomæ revertar, rapit me amor, quo in divinum opus a primis meorum ſtudiorum annis feror, ut de eo latius, & particulatim ſcribam viamque ad eas, quas in eo illuſtrando adnotationes parturio, & quarum etiam cauſa de hoc præſtantiſſimo Auctore nunc ſcribere aggreſſus ſum, excurſione hac ſimul muniam, atque complanem (12).

Summa latina vox eſt a priſcis, recentioribuſque Latinis auctoribus uſitata; & quemadmodum peritiores ante nos obſervarunt, collectionem quamdam, ſive contractionem ſignificat : quæ cum eſſe poſſit vel numerorum, vel ſententiarum, vel aliarum rerum; fit, ut Summa numerorum, Summa ſententiarum, & hujuſmodi dicere latine & eleganter poſſimus. *Circumſpectis rebus omnibus, rationibuſque ſubductis* (inquit Cicero) *ſummam feci cogitationum mearum omnium*; hoc eſt, collegi, ad certaque capita contraxi cogitationes meas omnes. Proinde, quia collectio omnis & contractio, anguſtia quædam & brevitas eſſe videtur; connotat hæc vox brevitatem, & anguſtiam quamdam : unde formulæ illæ loquendi ortæ ſunt, ad ſummam dicere, loqui in ſumma, & hujuſmodi, quæ ſignificant brevibus, pauciſque complecti nos *Orat. pro Ligario.*

H velle

(12) Vide quæ de iſtis Vielmii annotationibus diximus, quum ejuſdem Auctoris Opera recenſebamus, numero XI. pag. 32.

velle ea, de quibus verba facturi ſumus. Plinius, atque recentiorum plerique *compendium* interdum vocarunt: quamobrem & ab eruditis quibuſdam redarguuntur, tamquam qui a proprietate, & genuina ſignificatione vocis deflectere videantur; quod apud præclaros auctores, ut ajunt, *compendium facere*, ſit facere lucrum; quemadmodum *facere diſpendium*, pati damnum. Sed relinquamus Grammaticis rei hujus judicium: Theologis profecto, atque Philoſophis, qui crebro longius, quam Grammatici proſpiciunt, fruſtra hæc obiiciuntur. Siquidem qui lucrum facit, contractionem quamdam & collectionem earum rerum, quas lucratur, ut faciat neceſſe eſt, quæ antea diſperſæ eſſe videbantur ac diſſipatæ: atque ideo compendium, & ſumma in eamdem ſignificationem facile recidunt. Ut igitur fateor Summam vocem eſſe latiniorem; ita vox illa Compendium non mihi ad idem ſignificandum damnanda videtur: cumprimis autem, quia S. Thomas, D. Bonaventura, atque Albertus Magnus breviores quoſdam de re Theologica libellos hoc titulo ornarunt, & Compendia Theologiæ nuncuparunt.

Jam vero ipſa Theologiæ vox, græca quidem eſt, ſed jamdudum latinitate donata, & noſtras effecta; ſignificatque verbum Dei, aut ſermonem de Deo: utrumque enim recte dici poteſt; nam & de Deo verba facit, & a Deo profecta eſt Theologia noſtra, hoc eſt, quam Religio noſtra docet. Quoniam vero, ut ait Cicero, nulla gens eſt tam fera, quæ non, etiamſi ignoret qualem Deum habere debeat, tamen habendum ſciat; nullus quoque extitit umquam populus, qui Theologiam aliquam non habuerit. Sed univerſam illam Gentilium, non tam Theologiam, quam hiſtoriam & narrationem, veteres, & cum primis Marcus Varro (Divo Auguſtino in libris de Civitate Dei teſte) in civilem, fabuloſam, & naturalem tamquam in tres nomenclaturas, & claſſes partiti ſunt; noſtram Theologiam autem Aquinas, in Prologo ſuo in Summam, vocat interdum catholicam veritatem, & rurſus Chriſtianam Religionem, ac poſtremo etiam ſacram doctrinam. Qui ſic OPTIME JOANNES? non caſu profecto, aut temere; ſed hoc, ut arbitror, conſilio, ut nos doceret, vel hæc omnia eſſe unum, vel certe unum conſiſtere

Libro 1. de legibus.

Lib. 6. c. 5.

ſiſtere

ſiſtere ſine alio minime poſſe: ubi enim catholica veritas non eſt, fruſtra ibi aut Chriſtiana Religio, aut doctrina ſacra, aut ſincera Theologia quæritur, quemadmodum & Tertullianus olim monuit; rurſuſque ubi Chriſtiana Religio eſt, conſequenter ſacra doctrina, & Theologia ſecundum catholicam veritatem intelligenda eſt; ac poſtremo, quod catholica veritas ipſiſſima ſacra doctrina eſt, & puriſſima Theologia, quæ Chriſtianam Religionem noſtram conſtituit.

De Præſcription. adv. Hæret.

Porro autem in partes tres, quas Græci Tomos vocarunt, Summam partitus eſt; primam quarum Naturalem, poſtremam Sacramentalem, mediam Moralem Ptolomæus Lucenſis, Sanctuſque Antoninus Archiepiſcopus Florentinus nuncupaverunt: a quorum tamen ſententia, ut recedam, urgens & perſpicua ni fallor ratio cogit. Etenim nec a natura efficiente, quæ intellectus noſtri lumen eſt, nec a naturæ objecto, quod ſenſile ipſum eſt, quod in ſe motus & quietis principium habet, a quibus ſcientiæ, & voluminum corpora naturalia dici ſolent, hoc cognomentum ſortiri pars illa prior poteſt. Quamvis enim quædam ibi S. Doctor doceat, quæ Philoſophi vivido quodam & liberali ingenio ſubtiliter meditati ſunt, & accurate explicaverunt, & quæ Phyſici ſui eſſe muneris & juris arbitrantur; alia tamen ratione, atque illi fecerint, ea hoc loco tractavit; nimirum, ut a Deo Naturæ conditore prodierunt, & nobis manifeſtata atque expoſita ab eo ſunt, & ob id ſub formali ſubjecto Theologiæ continentur: ut proinde certum & conſtitutum doctioribus eſſe poſſit, has ejus lucubrationes Naturales appellari non poſſe. Sed & ſi verum amamus, nec tertiam partem recte Sacramentalem vocare poſſumus: etenim cum etiam de Chriſto Domino copioſe & ſplendide, ac præcipue illa ipſa ediſſerat, & a ſubjecto nobiliori ſoleant voluminum corpora inſcribi; Chriſtiana potius, quam Sacramentalis dicenda videretur. Quapropter nos tres illas partes non poſſe certo quodam ac ſpeciali nomine ſigillatim nuncupari arbitramur, quod ſubjectum præcipuum omnibus idem ſit, ſpecialia vero ſubjecta in ſingulis plura ſint, quam ut in aliud commune caput a ſubjecto adæquato commode & venuſte redigi poſſint. Quamobrem Summam omnem in

Lib. 22. Hiſt. Eccl. c. 19.

Præfationem (quam ipſe Prologum vocat , qui breviſſimus eſt) , & Narrationem primum partimur ; Narrationem autem in duas deinceps partes : in quarum prima de neceſſitate, unitate , præſtantia , ſubjecto , & aliis ad ſacram Theologiam ſpectantibus , tamquam ſecunda Præfatione, unica quæſtione, quæ prima eſt, tractat ; qua etiam benevolos , dociles , & attentos lectores ſibi facit : in poſteriore felicibus auſpiciis , tamquam ſoluta navi , datis velis, in altum divinitatis mare ſe immittit. Nam de Deo quadraginta tribus quæſtionibus, quantum homini fas eſt, locupletiſſime, ſubtiliſſime, & luculentiſſime verba facit ; ſed ita , ut primum ſex & viginti quæſtionibus prioribus de his, quæ abſoluta a Theologis dicuntur , quæ eſſentiæ Dei conveniunt , & ob id tribus perſonis Patri, & Filio, & Spiritui ſancto communia ſunt , quorum pleraque quadantenus communicabilia cum creaturis ſunt , & quæ Philoſophi etiam Platonici, & Ariſtotelici lumine naturæ non parum ſunt conſequuti ; confeſtimque de Trinitate perſonarum , hoc eſt, de æterna generatione Divini Verbi , de proceſſione Spiritus ſancti , de relationibus divinis & proprietatibus , deque hujuſmodi aliis , quæ ad perſonas divinas ſpectant, accuratiſſime agit : quæ, ut ſunt creaturis incommunicabilia, ita Philoſophis prorſus inacceſſa fuiſſe etiam oſtendit. Hanc partem 17. quæſtionibus ſequentibus complectitur , & a Deo in ſe , ad Deum extra ſe in ejus operationibus externis, & effectibus progreditur. Cumque quatuor ſint hujuſmodi operationes , rerum creatio , gubernatio , humani generis redemptio, & glorificatio ; rerumque creationem diſtinctio & ornatus ſequantur , & creaturarum alia omnino ſpiritualis ſit & incorporea , alia omnino corporalis , alia vero utriuſque particeps , ac veluti nexus quidam; ſic pulcherrimo artificio progreditur , ut primum de creatione, hoc eſt, de actione & modo, quo a Deo creaturæ in lucem prodiere , tribus quæſtionibus agat , 44. 45. & 46. deinde in 47. de earum diſtinctione in communi ; ſubindeque in 48. & 49. de ſpeciali hac earum diſtinctione , qua paſſim homines utimur in bonum, & malum; & poſtremo de ſpirituali creatura , quæ Angelus eſt , a 50. quæſtione ad 64. uſque, ubi eſſentiam , locum , motum,

poten-

potentiam, operationem, & alias bonorum, & malorum Angelorum, qui Dæmones dicuntur, affectiones perſcrutatur. Quo peracto, in 65. quæſtione de creatura omnino corporali, tamquam de altero extremo, & ſuperiori oppoſito, uſque ad 74. verba facit: quo loco primum libri Geneſeos caput, omnium difficillimum, hoc eſt, creationem, partitionem, & ornatum corporeæ hujus molis, quam mundum vocamus, eruditiſſime explicat. In 75. vero uſque ad 90. incluſive, naturam & affectiones hominis, qui nexus quidam ligamentumque rerum eſſe videtur, & quod ad animam, ejuſque facultates, & operationes attinet, ita copioſe & accurate ediſſerit, ut ægre Ariſtotelis libros de Anima, & aliorum Philoſophorum ea de re diſputationes quis intelligere, aut etiam dijudicare ſine Thomæ præſidio poſſit. Cum vero conſtitutionem, & craſim humani corporis diligentius diſcutere Philoſophi naturalis, aut etiam Medici magis, quam Theologi eſſe videatur, de ea pauciora verba, hoc eſt, non niſi quantum oportuit, fecit a 91. quæſtione uſque ad 102. Ac ibi quidem & de prima hominis productione, tam maris, quam fœminæ, ac de ſtatu & conditione utriuſque, quod ad intellectum ſpectat, & voluntatem, quoad corpus, & vitæ conſervationem, liberorum procreationem; locumque demum, in quo feliciſſime degebat, qui Paradiſus, ut plurimum, dicitur, tractat cumulatiſſime. Et cum hactenus de creationis opere, ſive (quod idem eſt) de effectibus Dei creantis egiſſet, confeſtim de gubernatione, qua omnia ſuaviter regit, & moderatur; deque illius effectibus, qui varii & multiplices ſunt, tam in creatura corporea, quam in incorporea, & media, quæ homines ipſi ſumus, ad calcem voluminis uſque, diſertiſſime & locupletiſſime diſputat.

Quoniam vero hominis gratia & univerſa creata fuiſſe credimus, & editas ſacras Scripturas, uti Paulus admonet: (neque enim Angeli Scripturis indigent, ſicut & D. Auguſtinus dixit); idcirco conſuevere Theologi, viri clariſſimi, de homine, qui imago Dei eſt, plura, & ea quidem cumulatiſſima verba facere; tamquam videlicet ſuæ dignitatis illum etiam hoc modo commonefacientes, & ad beneficiorum, quæ innumerabilia ipſe, cum naturalia,

Epiſt. 2. ad Timoth. c. 1.

Lib. 13. Confeſſ. cap. 13.

 tum

tum ſupernaturalia a Deo accepit, recordationem, & gratiarum actionem impellentes: inde effectum eſt, ut in ſecunda parte Summæ, quam propter ejus magnitudinem Auctor in duas partitus eſt (& ob id Primam ſecundæ, & Secundam ſecundæ frequenter audis) de homine potiſſimum agat; & hoc profecto, quatenus ſuorum operum libero arbitrio, quo præditus eſt, principium eſt, & poteſtatem habet. Et quia gratia finis cuncta fiunt, ob id a conſideratione finis ſcribendi initium in Prima ſecundæ cæpit: de quo, primum quidem in communi diſputat, ac poſtea de eo ſeorſum, qui felicitas & beatitudo nuncupatur, prioribus quinque quæſtionibus tractat. Finis enim in moralibus principii locum obtinet: (inde enim eorum, quæ aguntur, poſtulari, & afferri ratio ſolet) quapropter quilibet artifex a principiis auſpicatur. Rurſum, quia finis objectum eſt, & objecta ſunt priora actibus; ea propter de fine primum, & merito ſane, verba fecit. Et ſubinde a 6. quæſtione ad 22. de actionibus humanis, hoc eſt, quæ conſulto ac ratione adhibita a nobis fiunt, deque illas conſequentibus. At vero a 22. uſque ad 48. tractat de perturbationibus animæ (quas & affectus noſtri vocant, Græci πάθη, ipſe vero paſſiones) nobis, & brutis communibus. A 48. autem, ab actibus tum homini propriis, tum illi cum beſtiis communibus, tamquam a notioribus, ut diſſerendi ratio exigit, ad principia illorum conſcendit: quorum geminum internum eſſe videtur, potentia nimirum, & habitus; alia externa, Deus Optimus Maximus, qui nos perpetuo ad bonum pertrahit, ac Diabolus generis noſtri antiquus hoſtis, qui eo totus incumbit, ut nos perdat, & a fine ſupernaturali extrudat. Sed omnino præterit potentiam, quod in prima parte de illa copioſe antea tractaſſet, atque in 49. quæſtione ſubtiliſſimam, & prorſus difficillimam de habitibus perſcrutationem aggreditur, antiquioribus Patribus vel prorſus incognitam, vel perfunctorie, & veluti per tranſennam ſignificatam. Quibus primum in univerſali examinatis, moxque in particulari, nempe iis, qui virtutes dicuntur; & poſtremo cum declaraſſet, quæ vitia ſigillatim ſingulis virtutibus opponuntur uſque ad 89. quæſtionem, mox in 90. adornat inſtructionem de externis humanarum operationum principiis. Et præ-

præterita Dæmonum mentione, quod in priori parte copioſe de illis diſſeruiſſet, rurſum de Deo ea ratione agit, quod cum duplici veluti organo uti videatur ad ducendos, promovendoſque homines ad virtutes; legibus nimirum, quibus quid agere debeant, quidve omittere præſcribitur; & gratia, qua juvantur, ut operibus legum præceptis reſpondeant: primum de legibus, a 90. quæſtione ad 108. uſque ita pertractat, ut nihil, quod ad illarum rationem, vim cauſas, partitiones, & effectus pertineat (quocumque tandem nomine cenſeantur; hoc eſt, ſive æterna ſit, ſive naturalis, ſive Moſaica, vel Evangelica, aut humana, aut membrorum) deſiderare ſeveriſſimus judex poſſit: poſtremo de gratiæ neceſſitate, eſſentia, partitionibus, cauſis, & effectibus uſque ad 114. quæſtionem, quæ poſtrema eſt, ipſe plenus gratia, magna cum laude docet. Hanc ſi recentiores Eccleſiæ hoſtes diligenter evolverent, non eas de gratia, & libero arbitrio, de juſtificatione, deque his rebus cognatis dogmatibus turbas, & ſeditiones, quas pii omnes tantopere deplorant, ita turpiter, pernicioſeque excitarent.

In Secunda ſecundæ vero, tamquam a genere ad ſpecies confeſtim deſcendit. Nam cum de virtutibus, & eorum oppoſitis vitiis, quæ & peccata dicuntur, deque aliis ad moralem materiam pertinentibus, communem & univerſalem conſiderationem in Prima ſecundæ feciſſet; operæ pretium ſe facturum putavit, ſi præterea ea omnia in ſpecies ſuas diſpertiret, & ſigillatim doceret. Etenim actionibus humanis obeundis (quod circa particularia verſentur) univerſaliores doctrinæ morales minus proſunt: proinde de virtutibus, & vitiis ſeorſum, ac ſpeciatim ſibi agendum ſuſcepit. Et cum donis illis præſtantiſſimis, quæ Spiritus Sancti dicuntur, quibus aliquæ intellectuales virtutes affines admodum ſunt, & nomine cum iis communicant, Deus ad bene beateque vivendum homines promoveat, & ſuis præceptis impellat (dantur enim præcepta de actibus virtutum), ob id hunc ordinem diſſerendo perenniter ſervat, ut primum agat de virtute, deinde de vitio, ſive peccato, quod illi opponitur: (eluceſcunt enim oppoſita magis, cum juxta ſe ponuntur); deinceps de dono Spiritu Sancti illi virtuti, quam expendit, af-

fine, & de præcepto divino, quo illa virtus præcipitur; deque virtuti unicuique connexis, & eorum oppoſitis. Hæc eſt S. Doctoris illic perpetua methodus, iſque doctrinæ ordo. Agit autem primo de virtutibus Theologicis, fide, ſpe, & charitate, a prima quæſtione, uſque ad 46. nam de fide, illique correſpondentibus, 16. quæſtionibus prioribus tractat; de ſpe ſubinde, a 17. uſque ad 22. de charitateque confeſtim, a 23. ad 46. uſque. Jam vero in 47. de moralibus, quæ Cardinales vocantur, quod claſſicæ ſint, & aliarum veluti capita; & de earum partibus integralibus, & ſubjectivis, earumdemque annexis, ad 182. uſque locupletiſſime edifferit; huncque tenorem ſervat, ut a notioribus ubique progrediatur, hoc eſt, ab objectis ad actus, & ab actibus ad habitus, ſubjecta, cauſas, effectus, tam internos, quam externos, quorum poſteriores fructus quoque vocantur; & inde ad eorum oppoſita, partitiones, & affectiones. Principem autem moralium virtutum prudentiam, quæ etiam virtus intellectualis eſt, a quæſtione 47. ad 56. explicat; deinde in 57. agit de juſtitia, uſque ad 122. in qua reperies tractationem nobiliſſimam de religione, quæ virtus annexa eſt juſtitiæ, deque actibus, & vitiis illi oppoſitis: quæ omnia admodum opportuna eſſe, & neceſſaria videntur hoc tempore. In 123. quæſtione de fortitudine agit, uſque ad 141. a qua, uſque ad 170. de temperantia docet. Cumque virtutes Theologicæ, & Morales, quas enumeravimus, ad hominum omnium ſtatus & conditiones ſpectare videantur; aliaque ſint præterea Dei dona, quæ non omnibus, ſed ſeorſum aliquibus in Eccleſiæ beneficium Deus impertiri ſolet, quæ convenienter a Theologis gratiæ gratis datæ dicuntur: de iis quoque explicare ſubinde eo ordine properat, ut principem locum tribuat illis, quæ ad cognitionem, qualis eſt prophetia; ſecundum illis, quæ ad elocutionem, ut donum linguarum, ſermonis, ſcientiæ, & ſapientiæ; tertium illis, quæ ad operationem, cujuſmodi eſt gratia miraculorum, pertinent; & de his quidem a 171. uſque ad 178. tractat. Porro quia homines inter ſe, non virtutibus ſolum, & gratiis gratis datis, verum etiam operationum ſtudiis, & officiorum multiplicitate, ac varietate ſtatuum differunt; ideo, nequid expetere in

præ-

præclariſſimo opere poſſemus, quod ad hominem recte dignoſcendum, reſtituendumque faceret, mox illis explicatis, ad vitam contemplativam, & activam expendendam (quæ ſtudia operationum diverſa ſunt) ſeſe transfert, a 179. quæſtione videlicet, uſque ad 182. poſtremoque officia, & ſtatus, qui perſonæ obligationem quamdam dicunt, a 183. ad calcem operis, hoc eſt, ad 189. uſque abſolvit. In qua explicatione de illis in genere primum agit, deinde ad ſtatum perfectionis deſcendit, & inde ad ſtatum Epiſcoporum, & Religioſorum. Ubi quid Epiſcopi ſint, quidve Religioſi; quæque eorum profeſſioni, & ordini conveniant; quomodo ſecernantur Religiones, & quid agere debeant, abunde edocet. Et hic finem feliciſſimum imponit ſecundæ parti, quam Gerſon omnium ſcriptis, qui materiam Moralem hanc tractarunt, præferre non gravate quoque videtur: eſt enim perſpicua, locuples, & ſubtilis, &, ut ego arbitror, Ariſtotelis Moralia longius, quam cenſere quiſquam poſſit, ordine & copia antecellit. Neque tot oppugnatores habuit hæc pars, quot priores habuerunt. Unus Martinus Magiſter Pariſienſis Patrum memoria fuit, qui eam alicubi notare auſus eſt; ſed ejus nenias Cardinalis Cajetanus diſerte ac copioſe retudit, ac plane longius exploſit.

Vide Cajetanum in 22. quæſt. 3. 35. 123. 124.

In tertia parte demum de Chriſto Domino, ac Salvatore noſtro; deque illius beneficiis ad capeſſendam ſalutem humano generi præſtitis, agit. Ille enim ſolus eſt, qui hominem, quem condiderat, in ſupernam beatitudinem perducere potuit. Quamobrem ab opere gubernationis, ad opus redemptionis progreſſus, de medico, & medicamentis animarum noſtrarum, quæ Sacramenta Eccleſiæ ſunt, agit: & de priore quidem, ad 59. quæſtionem; de poſterioribus autem, ad operis calcem uſque, copioſe & feliciter. Et de Chriſto Domino eum ordinem quidem ſervat, ut primum quæ ad illius Incarnationem pertinent, deque coaſſumptis, & conſequentibus, & quovis modo ad illam ſpectantibus doceat; deinde de Conceptione, Nativitate, Circumciſione, Baptiſmo, Converſatione, Tentatione, Doctrina, Miraculis, Transfiguratione, Paſſione, Morte, Sepultura, Deſcenſu ad inferos, Reſurrectione, Aſcenſione, Seſſione ad dexteram Patris, & judiciaria poteſta-

teſtate. Quibus egregie declaratis, confeſtim ad Sacramenta explicanda progreditur: de quibus in genere primum, quid nam ſint, quæ eorum neceſſitas, qui effectus, quæ cauſæ, quod numerus, & modus, a 60. videlicet quæſtione, ad 65. explicat. In 66. autem agit de primo omnium Sacramentorum, quod eſt Baptiſma, uſque ad 71. In 72. vero de ſacramento Confirmationis, ſive, ut alii vocant, Chriſmatis. In 73. porro, uſque ad 83. auguſtiſſimum Sacramentorum omnium Euchariſtiam ita pertractat, ut in eo argumento vires omnes ingenii & eruditionis ſuæ adhibuiſſe, ac veluti profudiſſe Eraſmo, & merito quidem, viſus ſit; & inde uſque ad calcem, de Pœnitentiæ ſacramento, ejuſque partibus agit: & ita, cum per mortem ei non licuerit ulterius progredi, finem totius operis nobiliſſimi omnium, ut dicebamus, & diviniſſimi hic habemus. Quod omnium poſtremus libellus ille, Compendium Theologiæ inſcriptus, anguſtus ſane, ſed tamen doctiſſimus & pulcherrimus, tamquam coronis quædam & epilogus ſubſequi poteſt. Sed ad doctrinam illius in univerſum, ac generatim exponendam revertor: quam plane quanti fecerint viri eruditiſſimi, Græci, & Latini, qui non modo in Eccleſia, dum viverent, ſummas Præfecturas geſſerunt, verum etiam & eorum plures egregia monumenta poſteris reliquerunt, ego, iis nominatim citatis, ac eorumdem diſpoſitis verbis, jam oſtendam: qui tamen nec ex ejus ſchola prodiiſſe videntur, nec in illius verba perpetuo juraſſe; ne domeſtica teſtimonia, quæ nullius eſſe ponderis ſolent, me citaſſe quiſpiam dicat. Quamobrem intelligent juniores ſanctarum literarum tyrones, & candidati, longe aliter celebres & primæ notæ homines, atque gregarii quidam & indocti, vel hæretici, vel obtrectatores faciant, de hoc fulgentiſſimo Eccleſiæ catholicæ Sole & ſentire, & loqui. Habebo autem dignitatis eorum magis, quam temporis, in quo floruerunt, hoc loco, rationem. Ergo, ut principem locum Eccleſiæ tribuam, his illa præconiis Thomæ ſcripta grate ſane & læ-

In Brev. C. P. in off. de S. Thom.

tanter extollit: *Stylus brevis, grata facundia, celſa, clara, firma ſententia*. Hem, quomodo poterat Eccleſia Thomæ doctrinam honorificentius ſuis filiis commendare? Innocentius autem, ut opinor, Quintus; (nam unum hoc teſti-

teſtimonium in fonte, ut ajunt, non vidi; ſed referente Pizzamano Patritio Veneto, & cive meo, cui habendam eſſe fidem ſemper exiſtimavi) qui & Petrus de Tarantaſia in ordine Prædicatorum dicebatur, eminentis ſcientiæ vir; qui in Pariſienſi Academia cum Thoma floruit, cujuſque ſcripta D. Thomas ſe legiſſe oſtendit, quare & pleroſque illius articulos, demandante Magiſtro Ordinis, particulari libello accuratiſſime expendit; ſic alicubi de Doctore noſtro ſcriptum reliquit: *Hujus doctoris ſapientia præ cæteris, excepta Canonica ſcriptura, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum; ita ut numquam, qui eum tenuit, inveniatur a tramite veritatis deviaſſe, & qui eum impugnavit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus*. (13) Urbanus autem V. in hunc modum: *Volumus inſuper, & tenore præſentium injungimus, ut dicti B. Thomæ doctrinam, tamquam veridicam, & catholicam ſectemini, eamque ſtudeatis totis viribus ampliare*. Joannes vero vigeſimusſecundus, qui Beatum hunc Doctorem Sanctorum Catalogo adſcripſit, cum de miraculis ab eo editis verba fierent in præſtantiſſimorum virorum corona, teſte Gerſone, fertur dixiſſe, *Non eſſe de ejus miraculis vehementer curandum, quippequi tot miracula fecit, quot quæſtiones determinavit*. Porro autem & Pius V. nuperrime in Bulla ſuper celebratione feſtivitatis S. Thomæ, ita ſcribit. *Sed quoniam omnipotentis Dei providentia factum eſt, ut Angelici Doctoris vi & veritate doctrinæ ex eo tempore, quo cœleſtibus civibus aſcriptus fuit, multæ,* *quæ*

Opuſc. cont. impugn. vd. Canis.

(13) Conſentiunt nonnulli Vielmio elogium iſtud Innocent. V. attribuenti; ſed alii tamen dicere malunt illud ab Innocent. VI. prodiiſſe. Petrus de Alva, *Nodo quarto funiculorum indiſſolubilium*, §. 1. multis probare conatus eſt, *primum, unicum, & fontale principium præſentis approbationis* Innocentii fuiſſe Vincentium Bandellum an. 1475. Sed hominem vaniloquum egregie refellunt Apologiſtæ S. Thomæ alias citati. Videri poterit etiam Clemens Capellus in eruditiſſimo Opuſculo anonymo, Brixiæ anno 1701. edito, cui titulus eſt: *Apologia ſacri Studii S. Dominici Brixiæ*. Didacus Morales in *Laude D. Thoma* pag. 80. & ſeq. ſe hoc Innocentii elogium legiſſe teſtabatur Neapoli in Opuſculo MSS. Jacobi Ægidii, qui Ægidius, teſte Echardo anno 1465. diem extremum obierat. In hac noſtra Bibliotheca memorata duo habemus edita exemplaria *Tabulæ* Petri de Bergomo *ſuper omnia Opera Divini Doctoris Thomæ Aquinatis*, Bononiæ *anno Domini MCCCCLXXIII. die undecimo Martii ex officina Baldaſeris Azoguidi Civis Bononienſis*, quibus in Exemplaribus ante *Tabulæ* ejuſdem exordium exhibetur hoc elogium Innocentii ſimul cum elogio Urbani, quod heic apud Vielmium ſequitur. Hujus Editionis *Tabulæ* Petri de Bergomo an. 1473. factæ meminit etiam Peregrinus Orlandus in Opere inſcripto: *Origine, e progreſſi della Stampa*, ubi de Azoguido illo loquitur. Atque hæc una Editio ante an. 1475. habita ſufficeret ad os Alvæ obſtruendum. Hanc Editionem non vidiſſe credendus eſt Echardus, qui Tom. I. de Petro illo agens eam reiicit ad an. 1475.

quæ deinceps exortæ ſunt hæreſes, confuſæ & convictæ diſſiparentur., &c. (14) Sed & Beſſarion Cardinalis Nicænus, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, eumdem hac honorifica præfatione interdum citavit: *Thomas Aquinas*, ait, *non minus inter ſanctos doctiſſimus, quam inter doctos ſanctiſſimus.*

Lib. 2. in calumniat. Plat. cap. 7.

Joannes Fiſcherus Cardinalis, atque Epiſcopus Roffenſis, & Martyr beatiſſimus, cum adverſus Lutherum pugnat, ita loquitur: *Neque Thomas Aquinas, uſque adeo tibi, Luthere parvipendendus eſt, quem plerique, in ſacris literis exercitatiſſimi, Theologiæ florem appellare conſueverunt.* Hunc ſequutus Gaſpar Contarenus Cardinalis, ita ſcriptum reliquit: *Hanc Avicennæ poſitionem D. Thomas excellentiſſimus, ac numquam ſatis laudatus, ſatis efficaci ratione reprehendit.* Sed & Georgius Scholarius Patriarcha Conſtantinopolitanus, ac mutato de more nomine, vocatus Gennadius, Doctorem noſtrum quodam in loco ita exornat, Michaele Sophiano interprete: *Thomam*, inquit, *Aquinatem neſcio an aliquis ſuorum ſectatorum, pluſquam ego, admiretur, & colat. Ego, ſiquis ejus ſcriptis animum adhibuerit, hunc nullis aliis indigere opinor muſis; ſatiſque ei eſſe, ſua recte percipere poſſe. Sed quoniam Italorum nonnulli, iique ex Franciſcanorum cœtu, recentioribus quibuſdam doctoribus ita addicti ſunt, ut non ſolum eorum partes tueri, verum etiam, præ nimio erga illos ſtudio, in hunc Doctorem invehi, atque maledicere conentur, qui vel ab iis ipſis, quos præferendos cenſent, maximam meruit laudem; atque ſiquid illis vel addidiſſe, vel excogitaſſe accidit, in hoc eos tamquam diſcipulos a præceptore occaſionem accepiſſe veriſimile eſt. Hanc igitur ob cauſam, onus interpretandi hujuſce libelli ſuſcepi, ut tibi oſtenderem, quonam ingenii acumine vir iſte præditus eſſet, quo judicio, qua denique ſubtilitate; quam ipſi, ſi Diis placet, craſſitudinem appellare non erubeſcunt, quamquam propter judicii inopiam, ejuſque debilitatem ita cenſeant. Junioribus enim, qui vel aliquid addiderint, vel excogitaverint, ſuæ non ſunt negandæ laudes; illi vero, tamquam omnium*

In Confut. lib. de Captivit. Babyl.

Lib. 1. de elementis.

In lib. D. Thom. de ente, & eſſentia.

Hujus & in Florentina Synodi actis mentio fit.

(14) Cætera ſubſequentium R.R. Pontiff. ad uſque Clementem XII. S. Thomæ doctrinam ornantia, & commendantia Diplomata, exhibet Vir, cui multum debet, & a quo etiam majora ſperat Ordo noſter, Antoninus videlicet Bremond, ſuis quæque locis, in *Bullario Ord. Præd.* qui & omnia poſtea ſummatim complexus eſt, Tom. VIII. in Tractatu *de Conſenſu Bullarum*. titulo 6. queſt. 2. Legendus etiam P. Antonius Touron *Vie de S. Thomas d'Aquin*, liv. 5. chap. 1. & ſeq.

nium præceptori benemerito, majoris doctrinæ viro, jure optimo majores habendæ ſunt gratiæ. Quamobrem & Romanæ Eccleſiæ ſuffragiis ornatus, & in Divorum numerum eſt relatus; cum reliqui ſolum inter Scholaſticos congreſſus aliquid honoris ſint conſequuti. Nilus quoque Theſſalonicenſis Archiepiſcopus, Georgio Scholario æqualis; eodem Sophiano interprete, hunc in modum: *Thomas Latinæ Theologiæ facile princeps.* His Ambroſius Catharinus, Archiepiſcopus Compſanus, ad hunc modum ferme ſubſcribit: *Lib. 1. adv. Luth. dolo 2.* *Neque propterea detrahimus quidquam Thomæ doctrinæ, nec impugnamus eam, ut quidam imperite putant. Nam pro eminenti ejus ſcientia, ego frequenter illud uſurpare ſoleo: Ille ſciat ſe valde profeciſſe, cui Thomas valde placebit.* *Hunc Doctorem nemo certe Thomiſtam appellabit.* Præſtat autem & Ægidii Romani, Archiepiſcopi Bituricenſis, de quo ſuperiori libro meminimus, hoc locupletiſſimum audire teſtimonium, quod mihi profecto volupe ſemper fuit audire: *Quare detraxiſti ſermonibus veritatis?* *Præfat. ad Correct. Corrupt.* *cum e vobis nullus ſit, qui poſſit arguere me. Ad increpandum tantum eloquia continuatis, & in ventum verba profertis: ſuper pupillum irruitis, & ſubvertere nitimini amicum veſtrum. Reſpondete, obſecro, abſque contentione, & loquentes id, quod juſtum eſt, judicate; & non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis ſtultitia perſonabit*, Job 6. *Quæſtio propoſita optime in perſona Fratris Thomæ, Doctoris eximii,* *Nondum enim fuerat catalogo Sanctorum adſcriptus.* *cujus doctrina fulget Eccleſia, poteſt proponi quibuſdam, qui ejus doctrinam, imo veritatem, quam docuit, depravare nituntur, ipſius ſermonibus veritate plenis, & ſpiritu veritatis inſtigante conſcriptis, detrahentes: & hæc eſt eorum ſententia, de verbo ad verbum per ſingulos articulos digeſta, & convenienter ex dictis ejuſdem Venerabilis Doctoris exterminata, ut, Deo juvante, patebit.* Et in calce operis rurſus ait: *Hoc enim ſciendum, quod ad omnia, quæ iſti contra Thomam a principio adduxerunt, facillime per ejus verba veritate plena poterit reſponderi; pro aliquibus tamen habendo omnia ſcripta ejuſdem, quæ iſti, ut ex proceſſu eorum evidentius liquet, nixi ſunt depravare: nulli dubium facultatem deeſſe, quorum forſan manibus iſta eorum depravatio devenire continget. Nunc verba ejus, nunc ſententiam (prout capere potuimus) articulis ſingulis curavimus, ad omnia*

reſpon-

Digitized by Google

reſpondendo, ſecundum noſtrum modulum applicare: volentes ad altius ſapientibus occaſionem lucidius reſpondendi, & illius laudem attollendi uberius præbere, qui Doctorem iſtum ſapientiæ radio illuſtrare, & ſuper Eccleſiæ candelabrum, pro orbis terrarum inſtructione, dignatus eſt ſua clementia exaltare. Cui laus, honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Jam vero & Dominicus Epiſcopus Torcellanus primum, ac deinde Brixienſis, cum Diploma Canonizationis Sancti Thomæ expendiſſet, hunc in modum ſubdit: *Hæc autem, vel ſimilia non dicit de aliis* (nimirum Pontifex, vel Sedes Apoſtolica;) *ideo videtur, quod non poſſit tangere hæc Sedes doctrinam ejus, ſine hoc, quod ſe ipſam quodammodo tangat.* Non gravabor his addere Antonii Campani Interamnatium Epiſcopi teſtimonium, quamquam prolixum nimis nonnullis videri poteſt. Sic enim de Doctore noſtro loquitur: *Thomas locupletiſſimus in Dialecticis: de quibus ſic edidit, ut qui ejus præcepta non negligunt, & fallere quemquam nolint, & falli ipſi a quoquam nullo modo poſſint. Locupletiſſimus in Philoſophia; ſive illa, quæ ad vitæ pertinet inſtitutionem, & moralem appellamus; ſive quæ in rerum natura verſatur, & initia, caſus, eventuſque complectitur, & Phyſicam nominamus: in qua & invenit ipſe multa per ſe ſuopte ingenio; & aliorum inventa involuta & perplexa, ſplendidiſſima & diſtinctiſſima luce declaravit. Locupletiſſimus in ſcientia Divina, quam Theologicam nuncupamus: de qua idem ipſe tot tantaque conſcripſit, tam multa, & varia edidit volumina; ut mirum fuerit ſufficere ejus ætatem ad legendum, nedum ad ſcribendum potuiſſe: annum enim quinquageſimum quum vix attigiſſet, migravit e vita; nec ullum eſt ænigma tam ambiguum, nullus tam intricatus nodus, aut involucrum, nullæ tam obſcuræ nubes in hujus genere doctrinæ, quas vir Dei ſanctiſſimus non evolverit, retexerit, aperuerit: ſemper collectus, diſtinctus, ordinatus; ut alii ſemper ſcidiſſe divinam Scripturam, hic collegiſſe; illi involviſſe anfractibus, hic direxiſſe in compendium; illi infudiſſe tenebras, & conculcaſſe, hic clariſſimam attuliſſe lucem, & expediſſe videatur.*

In tractatu de ſanguine Chriſti, a. 5.

Orat. de S. Thoma.

Sed videbor tibi, OPTIME JOANNES, addere flores Veri, & ſtellas cœlo, ſi præclariſſimorum virorum elogia, quibus illi Doctorem hunc exornare ſtuduerunt, con-

congerere hoc loco voluero omnia. Sunt enim recentiorum auctorum monimenta ferme omnia refertiſſima laudibus Thomæ, auctoritatibus Thomæ, nominibus Thomæ. Hic [a] Thomam *Scholaſticorum Vexillarium* vocat. [b] Ille *noſtræ Theologiæ ſplendorem*. [c] Nonnulli *Scholaſticæ Theologiæ florem*. [d] Quidam, *in eo nihil eſſe infimum aſſerit, nihil mediocre; ſed totum ſummum, & totum perfectiſſimum*. [e] Alius *longo eum divinitatis hauſtu compotem dicit*. [f] Plerique omnes, *Angelicum*. [g] Alii *ingenioſiſſimum, eruditiſſimum, & cui in palæſtra, & exercitatione Scholaſtica nemo proximus ſit; ejuſque copioſiſſimam, ſolidam, & incredibilem doctrinam ſemper ſe prædicaſſe, & laudaſſe ſponte ſua fatentur*. Quemadmodum & nonnulli, [h] qui *ætatem illam nihil eo doctius tuliſſe, nihilque religioſius vidiſſe*, ſcribunt. [i] Sed & *celebrem Eccleſiæ Doctorem*, eum alii vocant. Et [k] quidam poſtremo *eo in Dialecticis acutiorem, in Mathematicis ſubtiliorem; in Philoſophia locupletiorem, in Theologia denique ſublimiorem, neminem ſe legiſſe teſtantur*. Et plane nemo præſtantiſſimas artes has, inconſulto Thoma, aut legere, aut profiteri umquam cum laude poterit. Sunt & qui Jureconſultis Thomæ doctrinam, ad veterem illorum ſanctiones recte intelligendas, magnopere neceſſariam eſſe contendant: in quibus eſt Franciſcus Vargas, qui pro Carolo V. ſemper Auguſto, & pro Philippo Hiſpaniarum Rege Catholico, & potentiſſimo, apud Venetos primum, moxque apud Pontifices ſummos, Paulum IV. & Pium IV. honorificis legationibus functus eſt; vir cum omni literarum genere ornatiſſimus, tum vero legum peritia clariſſimus. Etenim quodam in loco, ſic ſcribit: *Experiamur itaque & nos, an opera noſtra aliquid juſtæ defenſionis, Juſtitiæ deſcriptioni accedere queat: quod facilius conſequemur, ſi D. Thomam, tamquam fortiſſimum quemdam Herculem, in omnibus id genus difficultatibus ſuperandis adhibeamus: is enim, ut in omnibus aliis, ita in iis, quæ ad moralis Philoſophiæ cognitionem pertinent, adeo ſemper fuit diligens explorator veritatis, ut nihil abditum, nihil remotum, nihil obſcurum eſſe permiſerit; ſed omnia expoſita, prompta, ipſa denique luce clariora omnia fecerit. Hic uni in ſapientiæ ſtudiis plus debeo, quam infinitis Juriſperitorum verboſis commentariis: nude breviterque veritatem exponit; & omiſſa inani auctorum*,

a *Martinus Pereſius de tradit. par. 3. conſid. 3.*
b *Joan. Picus in Hepeaplo.*
c *Andreas Vega, in Opuſ. de juſtif. q. 6. & Roffenſis ubi ſupra.*
d *Martinus de Viana in Orat. de D. Thoma.*
e *Paulus Corteſius, 1. d. 2.*
f *Joan. Dolphinus a Caſali Majore, de Cælibatu, lib. 2, & Bartholomæus Camerarius, in Dialogo de prædeſt.*
g *Joan. Arboreus, Tom. 1. lib. 1. cap. 25.*
h *Longolius, in Orat. ad Lutheranos.*
i *Franciſcus Titelmanus, in adnot. Pſal. 109.*
k *Thomas Phedrus, in Panegyrico.*

Vid. de Epiſc. Juriſd. & P. M. auctor. Confirmat. 7.

rum, opinionumque citatione, ſolida vi incedit, rationibuſque invictis per omnes adverſitates viam ſibi, aliiſque ſternens. Quamvis igitur ex Ariſtotele, omnis Philoſophiæ facile principe, rectam Ulpiani Juriſconſulti ſententiam accepiſſem, nolui tamen D. Thomæ nomen, hanc juſtitiæ definitionem doctiſſime elucidantis, & a multorum hominum tenebris eruentis, ſubticere 22. quæſt. 57. & 58; tum ut mea, auguſto ejus nomine magis probentur; tum ut omnes adhorter, ad virum illum cognoſcendum, qui non Phyſicis magis, & Theologis, quam Juriſperitis eſt neceſſarius: qui, ſi eum legiſſent, intellexiſſentque, Deus bone, quantum ignorantiæ, quantumque turpis erroris, e libris ſuis, atque animis eximere potuiſſent! Sed longius me evexit ſtudium, quo in D. Thomam, non affectus modo ſum, verum totus etiam ardeo, flagroque. Cæterum quamquam ad non vulgarem Aquinatis laudem hæc clariſſimorum virorum præconia facere videantur; habet tamen ille majus his teſtimonium, & ſane multo luculentius: opera enim quæ fecit, illa teſtimonium perhibent de eo. Contigiſſe vero auctoribus recentioribus nonnullis, ego facile animadverti, quod ſideribus evenire & Ptolomæus ſcribit, & non crebro perſpicimus: ſiquidem nobis majora videri ſolent, cum juxta Horizontem ſita conſcendunt, quam cum vel medium cœli tenent, vel cum inde ad Horizontem rurſum converſa deſcendunt. Etenim cum primum quorumdam ſcripta in lucem prodierunt, legi avidius, & magno cum orbis plauſu cœperunt, ita ut brevi temporis ſpatio ſummam quamdam auctoritatem, & nominis celebritatem adepta ſint: ſed cum poſtea accuratius ſtudioſorum manibus teri, preſſiuſque evolvi, & expendi cœpta ſunt, confeſtim ab eorum exiſtimatione multum decidiſſe vidimus, & quorumdam quidem citius, nonnullorum vero tardius, tacito quodam conſenſu omnium eruditorum, ad minora ſubſellia, atque etiam ad angulos rejecta fuiſſe. Et plane Veris tempus oblectare magis, atque afficere homines ſolet, quam vel æſtatis, vel autumni, vel hyemis, & plures orientem Solem, ut dici ſolet, adorant, quam cum ad occaſum pergit. At vero Thomæ monimenta oriri ſemper, & ſplendeſcere in dies magis, ac magis viſa ſunt; neque poſterioribus temporibus doctiores catholici omnes, minus

minus quam prioribus, illa ſunt venerati; quinimo dignitate, & loco parem eumdem priſcis Religionis noſtræ Heroibus, ſine ulla controverſia, ſua ſponte fecerunt. Perſpexerunt ſiquidem clariſſimi viri in eo omnia, quæ in præclaris auctoribus laudare magnopere, & ſuſpicere ſingula ſolemus, eruditionem ſcilicet, perſpicuitatem, amplitudinem, judicium, diligentiam, gravitatem, ingenium, ſubtilitatem, acrimoniam. Et ſane horum ſingula Scholaſticis inſignioribus ſingulis diviſiſſe Spiritus ſanctus videri poteſt: at univerſa prorſus, non vulgariter, aut mediocriter, ſed ſummo quodam modo, ſed excellentiſſime, & incomparabiliter in uno Aquinate idem munificentiſſimus Dominus noſter veluti profudiſſe; atque adeo ſe propemodum in illius ſinum, orbi conſulturus univerſo, effudiſſe. Quamobrem Græci omnes eruditi, qui alioquin vel improbitate quadam, ut fit, vel levitate, quæ illis obiici a noſtris frequenter ſolet, Latinos in contemptionem adducere, & vituperare conantur, Thomæ volumina quædam, contra Gentes nimirum, Theologiæ Summam, de Ente & Eſſentia libellum, & alia quædam non modo in ſuam linguam accurate verterunt, verum etiam ſuis adnotationibus, & commentariis illuſtrarunt, eximiiſque præconiis proſequuti ſunt; ac veluti incorrupti Judices, longo intervallo Latinos recentiores omnes in ſcientiarum curriculo antecedere (quemadmodum ſupra ex eorum verbis oſtendimus) veritatis vi compulſi, dixerunt. Nec injuria plane! Eminet enim inter alios omnes, *quantum lenta ſolent inter Viburna Cupreſſi*. Certe cum Theologica arcana explicat, & orthodoxa dogmata defendenda, ac fidelibus aperienda ſuſcipit, vix credi ab eo poteſt, qui illum non legerit, quam ſit accuratus, quam ſit dives, & quam utriuſque Teſtamenti locorum, & auctoritatum locuples! Scilicet noverat ille veriſſimum eſſe, quod Ambroſius antea dixerat, ſuſpectam eſſe revelationem omnem, quam lex & Prophetæ cum Evangelio non confirmant. Ad hæc, Romanæ Sedis de fide judiciis, Conciliorum Œcumenicorum decretis, Eccleſiæ auctoritati (quæ omnia ferme unum eſſe exiſtimare ſolet) pius & humilis ſummam ſemper, tamquam Dei certiſſimis quibuſdam oraculis, exhibuit reverentiam: & ſi alicubi

Vid. Echard. tom. 1. in S. Thoma, & Touron. lib. 6. cap. 9.

Virgil. Bucol. Ecloga 1.

cubi ab eorum verbis recedere exiſtimatur, tamen nuſquam ab eorum ſenſu, & mente longius abit, quam acutiſſimus ipſe, & plane lynceus perſpiciebat. Eccleſiæ, & orbis conſuetudines, quæ, Auguſtino teſte, ab Apoſtolis, ſanctiſſimiſve Patrum, & univerſalium Synodorum conſtitutionibus emanaſſe, ac veluti per manus traditæ creduntur, non modo plurimi ſemper fecit, verum etiam auctoritati doctorum antepoſuit. Ritus Eccleſiæ, quos ordinationes quoque vocat, firmiter oportere nos credere a Chriſto domino prodiiſſe docuit. Pro dignitate atque amplitudine Romani Pontificis, Chriſti in terris Vicarii, ab hæreticis, & ſchiſmaticis aſſerenda, perpetuo advigilat, & ubique toto pectore in id incumbit: &, quantum ego illius rationibus conſequi adhuc potui, feliciſſime hæc omnia evincit; auguſtiſſimum nimirum eſſe & ſacroſanctum, ob Spiritum ſanctum ei aſſiſtentem, Sedis illius de Religione Chriſtiana judicium; ejus eſſe muneris cogere generales Synodos, fidei Symbola edere, Rempublicam Chriſtianam omnem ſuis legibus moderari; oportereque omnes, cujuſcunque ſint nominis (modo velint æternæ ſalutis fieri compotes) tamquam patri, magiſtro, & univerſali paſtori Romano Pontifici ex animo parere. Hæc, quæ tamen a Patribus ille acceperat, Almainus, Joannes Antiochenus, Gerſon, Cuſanus, aliique recentiores nonnulli, qui leviſſimis quibuſdam rationibus ducti, quædam ſecus docere maluerunt, atque majores noſtri, Eccleſiæ columnæ, docuerant, mirum eſt, quomodo male acceperunt! & proinde tamquam crabones in Thomam aliquando impetum fecerunt. Quamobrem fontem uberrimum hunc crebro ſponte ſua relinquere viſi ſunt, & ciſternas diſſipatas ſibi effodere, hæreticiſque funeſtiſſimis, & infenſiſſimis hoſtibus noſtris imprudentes tela multa ſubminiſtraſſe. Patres præterea noſtros, quibus diuturnus catholicorum conſenſus illius ætate auctoritatem dederat, ubique mirifice veneratur; eoſque vel commode interpretari conatur, cum abſurda videntur docere; vel certe excuſat; vel demum, cum opprimi veritatem eorum auctoritate cernit, tantum, quod exceſſerint, pauciſſimis verbis modeſte indicat. Nuſquam amarulentus eſt, nuſquam tragicus, aut nimium concitatus, & vehemens; ſed æquabilis

Lib. 2. de Bapt. con. Donat. c. 7.

bilis ubique, ubique mitis, atque religioſus: quamvis numquam demiſſus, numquam languidus; ſed ſemper fortis, ſublimis, excelſus. Quapropter Auguſtinum mitiſſimum Patrem (non vero Hieronymum, aut Hilarium, qui terrere magis, quam loqui, & lancinare verius, quam ſcribere crebro videntur) ſibi præter cæteros imitandum, & ſectandum ſumpſit. Scripſit Gregorius Nazianzenus de moderandis diſputationibus Orationem eruditam ſane, & valde piam: ſed ejus præcepta multo melius Aquinas re ipſa expreſſit, quam Nazianzenus verbis. Probra, ſcommata, nigros ſales, ſannas, ironias, hyperboles in ejus ſcriptis (quod in ſcriptoribus pleriſque, de rebus etiam ſacris, proh dolor! cernere eſt) nuſquam reperies. Strophas, captiunculas, cavillos, vitioſos elenchos, & malas artes, quas idem Nazianzenus, non ſecus ac flagella quædam Ægyptiaca, male in Eccleſiam noſtram irrupiſſe jamdudum deplorat, e ſuis libris penitus proſcripſit. Araneæ telam, quod ajunt, numquam texit; hoc eſt, figmenta, vanaſque, & nullius frugis, vel rerum, vel verborum meditationes, quibus nonnullorum volumina refertiſſima ſunt, graviſſimus vir conſulto omiſit: ut merito ſectatores illius in Scholis Reales jampridem, inepto fortaſſe vocabulo, ſed vere tamen dicantur. Ad hæc, formulis illis loquendi, quas, cum veterum Patrum, tum Gymnaſiorum conſenſu, & auctoritate receptas, comprobataſque eſſe noverat, uſus perpetuo eſt. Et licet voces, quæ minus latinæ auribus delicatioribus videntur, frequentius uſurpaſſe accuſetur, attamen, rogo, quid tum? an eas ipſe primus peperit, aut effinxit? non profecto; ſed natas jam, & adultas, hoc eſt, ſcriptis multorum auctorum, veluti mirifico conſenſu Latio donatas, proſcribere tamquam peregrinas noluit. Certe Auguſtinus Honoratum ſic alloquitur: *ne me ineptum putes græcis nominibus utentem; primum quia ſic accepi, nec tibi hoc aliter audeo intimare, quam accepi.* Acceperat autem eas voces, ob quas indignantur in illum ſemiliterati quidam, & Thomas; nec aliter loqui auſus ipſe modeſtiſſimus eſt, quam acceperat. Nuſquam inæqualis, & nimius; nuſquam (quæ omnia Arnobio Hieronymus obiicit) abſque operis ſui partitione confuſus; ſed diſtinctus ubique, ubique ſobrius, & purus eſt. Cum de *Epiſt. 13.*

 prin-

Digitized by Google

principiis verba facit, eſt prolixior, quemadmodum & Plato monuit. *In Cratylo.* Ea vero, quæ ad chriſtianam pietatem non pertinent, cujuſmodi plura ſunt, moleſte cum Auguſtino nimium tulit, cum imperiti quidam (animalia quæ nec ruminant, nec partitas ungulas habent) ad eam referre conantur. Rationes a Natura, Philoſophiſque petitas, cum vel ſua ſtatuendo, vel aliena refellendo affert, quæ rebus per ſe ineſſe cernit, & intrinſeca ſunt, ſubtiliter, & incredibili quodam judicio ſemper expendit, illis prætermiſſis, quæ vel eſſe eis extranea, vel per accidens convenire videntur; ipſaſque rationes non numero (in Summa Theologiæ præſertim, ubi ex optimis præcipua tradit; & nihil eſt, quod ad oſtentationem, aut ſuperſtitionem tendat) ſed pondere, & vi æſtimare, & magnifacere ſolet. Animadvertit ſcilicet vir eruditiſſimus, quod quemadmodum miles non omnia arma, quæ domi habet, ſecum in aliquem pugnaturus capit, ſed illa dumtaxat, quibus confodere hoſtem fortiter poſſit; nec ad victoriæ laudem multum referre exiſtimat, ſi pluribus magis, quam uno telo inimicum peremerit; ita prudentes auctores (quod Iſidorus jamdudum pulchre docuerat) non ubique ſententias omnes, non omnes rationes, aut argumenta omnia, ſed unum, aut alterum, efficax plane & validum, loci & inſtituti ſui ratione habita, afferre ſæpenumero conſueviſſe. Ariſtotelem & ſtudio, & auctoritate reliquis omnibus Philoſophis longo intervallo, cum recentioribus antepoſuit. Platonem, ut mihi quidem videtur, non tam legit (quod librorum illius unus, aut alter dumtaxat ea tempeſtate latine loqueretur) quam ſummis labiis deguſtavit (15); quamquam veteribus enarrantibus, in primis

vero

(15) Aut dicendus erit S. Thomas Græce petitiſſimus, aut certe affirmandum cum noſtro Auctore unum ſaltem, vel alterum librum Platonis ætate S. Thomæ latinitate donatum. Noſter etenim Touron *Vie de S. Thomas*, pag. 308. Epiſtolam exhibet a Bulæo in *Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis* ex Victorino Pariſienſi Codice deſcriptam, qua Epiſtola Univerſitas illa ſuum erga Angelicum Doctorem recens vita functum, ejuſque doctrinam obſequium teſtata, atque ex ejus immatura morte *Eccleſiæ univerſale diſpendium, nec non & Pariſienſis Studii manifeſtam deſolationem lacrimabiliter* conqueſta, FF. ſubinde Ord. Præd. Lugduni in *Capitulo Generali* an. 1274. congregatos rogabat, ut ad ſe mitterent Opera quædam Philoſophica a S. Præceptore olim Pariſiis inchoata, quæ inde recedens ſe fuerat pollicitus eo miſſurum ſtatim atque compleſſet; atque ea inter opera enumerabat *Expoſitionem Timæi Platonis*. Qui potuiſſet Doctor Sanctus expoſitionem Timæi aggredi, eamque ſe abſoluturum promittere, niſi aut Græcas literas exacte calluiſſet, aut *Timæum* habuiſſet ab aliquo alio latine redditum? Jam ſi poſtre-

mum

vero Ariſtotele, Cicerone, Simplicio, Euſebio, & Auguſtino, illius opiniones nonnullas agnoverit, & accurate explicaverit. Sed & Laertii, Plutarchi, Græcorumque quorumdam libellos complures diligenter evolvit; ex eiſque attuliſſe nonnulla interdum videtur, eorum nominibus (quod ab inani illa citandi auctores oſtentatione libenter abſtineret) ſuppreſſis. Quæ cum Cajetanum Cardinalem doctiſſimum, ſubtiliſſimumque illius interpretem alicubi præteriiſſent, mirari ego nequaquam ſoleo, ſi quædam ejuſdem Aquinatis verba negotium illi exhibuerint, quæ multæ lectionis viris, & cumprimis antiquitatis ſtudioſis plana, & perſpicua eſſe ſolent. Rabbi Moſem Ægyptium virum eminentiſſimum, Avicennam, & cujuſcumque nominis illuſtres viros, quorum volumina vel induſtria, vel prece, vel pretio habere potuit, ſive in Philoſophia ſcripſerint, ſive in Dialectica, ſive in Hiſtoria, & in aliis bonarum artium diſciplinis, verius imbibiſſe, & in ſuum vertiſſe uſum, quam legiſſe, præclara ejus opera teſtantur. Demumque, quod de Ariſtotele Averroes ſcribit, nos de Doctore noſtro affirmare conſtanter poſſumus; nihil eum abſque validiſſimis rationibus ſtatuiſſe umquam, nihil abſque teſtibus omni exceptione majoribus pronunciaſſe. Sed ineptus omnino atque imprudens merito videar, ſi de præſtantiſſimis auguſtiſſimiſque ſcientiarum ferme omnium Antiſtitis hujus monumentis plura dixero. Eſt enim in illis vere Thomas; hoc eſt (ut hujus nominis vox ſonat) Abyſſus, ſeu Oceanus quidam, nimirum divinarum, & humanarum rerum, quarum cognitio ad bene feliciterque vivendum nobis plurimum conferre ſolet, atque adeo maxime

mum hoc magis arrideat, facile inde conficietur Marſilium Ficinum in Proæmio in libros Platonis falſo gloriatum, ſe primum Platonis libros in Latinam linguam vertiſſe, quum *Sol Platonicus nondum palam Latinis gentibus oriebatur*; ſimulque comprobabitur Joſephum Blanchinium, *dei Gran Duchi di Toſcana*, in Proæmio, pag. XII. falſo hanc gloriam Ficino tribuiſſe. Quamquam utrumque hunc Scriptorem ſolidiſſime juxta ac eruditiſſime redarguit Vir incomparabilis Eminentiſſimus Epiſcopus noſter Angelus Maria Cardinalis Quirinus, in *Diatriba Præliminari* ad Epiſtolas Franciſci Barbari, pag. 252. & alibi non ſemel. Porro ſi memoratam Univerſitatis Pariſienſis Epiſtolam videre potuiſſet Vielmius, numquam dixiſſet S. Thomam *ſummis* dumtaxat *labiis degustaſſe Platonem*. Timæus, ut eſt omnium Platonis Dialogorum obſcuriſſimus, ita & totius Platonicæ Philoſophiæ, præſertim Phyſicæ ſummam complectitur (Lege Ficinum in *Compendio in Timæum*, cap. 1. & Jo. Albertum Fabricium, lib. 3. *Bibliotheca Græca*, cap. 1. num. 31.) non igitur potuiſſet D. Thomas abſque nota temeritatis, quæ in virum modeſtiſſimum cadere nequaquam poteſt, expoſitionem Timæi ſuſcipere, niſi altius in Platonicæ Philoſophiæ abdita penetraſſet, niſi pleno ore potaſſet e fontibus Platonis.

Digitized by Google

me neceſſaria eſt. Quamobrem nulla vis ingenii, nullum eloquentiæ flumen, nulla ſtudii, & amoris induſtria, ejus laudum magnitudinem, non modo oratione complecti, ſed ne mente quidem & cogitatione comprehendere umquam poterit.

HIE-

Digitized by Google

HIERONYMI VIELMII VENETI

ORDINIS PRÆDICATORUM

EPISCOPI ÆMONIENSIS, OLIM ARGOLICENSIS

ORATIO APOLOGETICA.

Adverſus obtrectatores Theologiæ præſertim Scholaſticæ, habita Patavii, cum interpretandi publicum munus olim auſpicaretur, anno 1554.

QUod mihi nec apud imperitam multitudinem modo verba facienda ſint, nec id genus argumenti tractandum, quod eloquentiæ ſplendore dumtaxat eluceſcat; ſed apud vos, Magiſtratus graviſſimi, Doctores clariſſimi, juveneſque nobiliſſimi, de ſacra Theologia dicendum ſit, quæ omnium verborum fucum & illecebras non tam negligere, quam etiam recuſare præ ſua dignitate & amplitudine ſolet, præcipueque in tam præclaro eruditoque conſeſſu; recreor ſane, & vehementer etiam lætor. Etenim ſi apud populum mihi oratio habenda eſſet, qui ex veritate pauca, ex opinione multa æſtimans, ſacram ipſam Theologiam tamquam ex Penia matre ortam in poſtremum locum magna pertinacia pridem rejecit; cum mihi deeſſe omnino ſentiam eum verborum apparatum, quo præclari Oratores inſtructi, obſcurum quodvis argumentum & ſterile, tamquam illuſtre & fœcundum, copioſa & ornata oratione proſequi ſolent; merito quidem ægro atque anxio animo eſſem. Nunc vero vel ipſa veſtra prudentia & clementia, quæ maxima eſt, vel ipſius argumenti ſive ratio & natura, quæ, ut dixi, orationis ornamenta aſpernatur potius quam requirit; ſive etiam præſtantia, quam non niſi balbutiendo exprimi poſſe, ipſi excellentes ingenio viri teſtantur, veniam facile mihi ſpondent, ſi illius magnitudini, ſi auguſtiſſimo huic loco, ſi veſtræ de me expectationi, ſi denique voti perantiqui mei honeſto deſiderio aliqua ex parte (quod mei ſimilibus evenire ſolet) deeſſe videar. Accedit, quod nunc inſtituti mei ratio non eſt Theologiæ laudes, aut encomia perſequi, quod illa

præ ſua majeſtate, melius ſilentio, quam oratione laudari ſoleat: ſed ejus obtrectatoribus reſpondere, præcipueque iis, qui genus hoc Theologiæ Scholaſticum, quod profiteri demandante Senatu noſtro ſanctiſſimo hoc tempore auſpicamur, non modo non attingunt, verum etiam maledictis convellere, ac ineruditis auribus, tamquam inviſum & infame obtrudere permultis ſæpe conantur. Quorum petulantiam & procacitatem, non quidem ad Theologiæ noſtræ dignitatem retinendam, aut exiſtimationem apud vos, viri doctiſſimi (quod eſſet ſupervacaneum) comparandam; ſed juvandæ juventutis gratia, præſenti oratione, veluti apologia quadam, pinguiori, quod ajunt, Minerva retundere, ac veluti digito commonſtrare & oſtendere conabor. Nam quemadmodum pictores illuſtrant lucida, appoſitis obſcuris, & umbris; ita propoſitis objectionibus, quæ contra illam afferri ſolent, & certo ordine diſſolutis, etiam illa ſplendidior, & auguſtior quadantenus apparebit. Vos interim Doctores, omni virtutum genere ornatiſſimi, me ut attente audiatis, etiam atque etiam rogo. Etenim niſi ſexennium veſtris fuiſſem inſtitutus auſpiciis, neque ampliſſimum hunc ſuggeſtum conſcendere, neque his de rebus accurate diſſerere aliquando potuiſſem.

In duo genera potiſſimum mihi dividi poſſe videntur, qui de humano genere optime meritam Theologiam cæco ac temerario auſu oppugnare audent; quorum in altero, ἀθέους illos καὶ ἀπίστους reponimus; qui aut Deos e medio ſuſtulerunt; aut non curare humana impie aſſeruerunt; atque adeo Theologiam omnem ſupervacaneam, & prorſus inanem eſſe ducunt; & inſtar eorum, qui adverſa valetudine oppreſſi, nihil cibi ſtomacho retinent, has evomunt voces, *Quæ ſupra nos, nihil ad nos*: &, *Cum ſis mortalis, quæ ſunt mortalia cura*: & demum, *Nihil ſcire feliciſſima vita*. In altero paulo minus inſanientes illos, qui utilem quidem illam, & hominum cætui neceſſariam verbis illuſtribus etiam prædicant; ſed tamen genus hoc, quod vocant Scholaſticum, quod nobis majores noſtri, Chriſtianæ Religionis columina, reliquerunt, quod inquirendo, diſceptando, ſtatuendo, & confutando progreditur, dum vel ocio indulgentes ac ventri, non aſſequuntur,

Digitized by Google

tur, vel ad manſuetiora illa, ut ajunt, ſtudia, quæ ego ſteriliora appellare ſoleo, animum intendunt; aut nudum dumtaxat ſanctarum Scripturarum contextum, nihil præterea, vel eruditionis, vel explanationis gratia admiſcentes, rethoricis laſcivientes floſculis, expendunt (rem gravem ſcilicet ridiculi homines modis lydiis efferre conantur) quanta poſſunt copia, & vehementia improbant, & deteſtantur: non intelligentes, (ut inquit Paulus) quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Et ii ſeipſos ſolos, ſi Deo placet, Theologos vocant, nos vero (utar enim illorum verbo) Theologaſtros; eruditos ſeipſos, nos autem ignaros; ſeipſos venuſte probeque loquentes, nos infantes, & elingues; ſeipſos demum, tamquam cœlitum convivio acceptos, nectare, & ambroſia veſci, nos rudi avena, & carduis paſci contendunt. Quibus fortaſſe his Jobi verbis occurrere ſatius ſit; *Ergo vos eſtis ſoli homines? & vobiſcum morietur ſapientia?* O vos fœlices, & plane beatos. Et Pauli; *Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat*. Sed tamen eorum argumenta, non omnia quidem (quis enim omnes illorum ineptias recenſere dignetur?) ſed præcipua quædam, in octo capita a nobis eo ordine diſtincta, qui vel ipſis adverſariis, juxta Salvatoris noſtri mandatum aliquid lucis, & commodi afferre poſſit, expendere; & prioribus illis utcumque rejectis, temporis, & loci ratione, quantum potero, habita, eiſdem exacte conabor reſpondere.

1. Timot. 1. — *Cap. 12.* — *2. Corint. 10.* — *Matth. 5.*

1. Arg. Sunt igitur qui Scholaſticam Theologiam primum accuſant, quod in differendo præpoſtero utatur ordine; nempe, quæ a Deo Optimo Maximo exordium ſumens, ad creaturarum contemplationem ſubinde deveniat; cum tamen per has, tamquam nobis magis cognatas atque familiares, veluti per ſcalam Patriarchæ Jacob, aut per annulos catenæ Homeri ad ſuperiora conſcendiſſe, Deique notitiam aſſequutos eſſe, præclaros quoſque Philoſophos conſpiciamus.

2. Arg. Secundo, quod de Deo breviſſime, & plane perfunctorie tractationem abſolvat; indeque ad creaturas pertranſiens, ſingula quæque uſque ad ſatietatem moroſe expendat, ut non tam Theologia, quam naturalis Theoria dicenda videatur.

Ter-

3. Arg. Tertio (& hic pandite Helicona Deæ : patet enim latiſſimus campus petulantiſſimis illorum ingeniis in nos debacchandi) ſordidos , & incultos , omniſque literaturæ politioris prorſus expertes Theologos Scholaſticos vocant, indignoſque eſſe latinis &, bene inſtitutis auribus frequenter inculcant ; atque dum unius , aut etiam alterius illorum ſpurcas aliquot , vel etiam ignoratas voculas in medium ſuorum hominum theatrum produxerint , & denudaverint , ruditatis & oſcitantiæ crimine univerſum Theologicum ordinem arguunt , explodunt , damnant. Quibus alii ejuſdem claſſis , & ſtudii (pares enim cum paribus veteri Proverbio , inquit Plato , jucundiſſime congregantur) *In Phædr.* Elegiacis , Jambicis , aliiſque id genus carminibus , panegyricis , & gratulatoriis , tamquam bonarum literarum vindicibus , atque inſtauratoribus Io Pæan , mirum quam libenter , acclamant.

4. Arg. Sed hic minime ſiſtunt , obſcuram præterea illam , & tenebris circumfuſam undique clamitant ; ut quemadmodum priſci Gentilium ſacrifici prophanos ab Eleuſinarum Dearum arcanis procul amovebant , ita eos verborum tenebris , ſenſuumque involucris , a noſtris myſteriis arcere *1. de Anima cap. 20.* conſulto velimus: quod Themiſtius magni inter Peripateticos nominis , æquum non eſſe arbitratur ; ſed id maxime in rebus difficilibus obſervandum eſſe docet , ut ea , quæ ſuapte natura videntur obſcura , atque perplexa , adhibita verborum luce , & ſplendore , a tenebris vindicen- *6. topic. 1.* tur. Et Ariſtoteles docet debere eum qui definit , quam poteſt apertiſſima interpretatione uti , quandoquidem cognoſcendæ rei cauſa definitio aſſertur .

5. Arg. Ad hæc , Sophiſtas nos , & litigioſos crebro appellare ſolent ; quod nodum quoque in ſcyrpo , vel oſtentandi ingenii , vel etiam quæſtus gratia , ſæpe quæramus ; quales ſuorum temporum Sophiſtas fuiſſe Plato deſcribit , *1. ad Tim. 6.* cum vel ipſe Paulus prophanas vocum novitates , ſtultas quæſtiones , & genealogias ſuos vitare jubeat ; nimiumque altercando veritatem plerumque amitti contingat.

6. Arg. Sexto , quod veluti in Eccleſiaſticæ pacis perniciem , in tot ſectas diviſi ſimus , nempe in Albertiſtas , Thomiſtas , Scotiſtas , & id genus nomina ipſos magiſtros indicantia , quorum in verba juramus , execrabile eſſe ducunt ;

eoque

eoque partium ſtudium, & diſſenſionum ardorem creviſſe, ajunt, ut perenni Scripturarum fonte intermiſſo, ab his tantum rivulis, aut etiam ciſternis diſſipatis, aquam petere populum cogeremus. Indeque præclara illa elogia, Angelicus, Magnus, Subtilis, & reliqua, quibus illos paſſim efferimus, dimanaſſe contendunt. Quæ ſane ſtudia, quam indecora Chriſtianis hominibus duxerit Paulus, Corinthiis ſatis luculenter expreſſit. *Hierem. 2.* *2. Cor. 1. & 3.*

Septimo perſtrepunt belli homines, & tamquam ignavi galli, ut inquit Plato, antequam vicerint, cantant, & nos tamquam læſæ majeſtatis reos accuſant, qui nimia Phyſicorum conſuetudine utimur, & præſertim Ariſtotelis, quem etiam regnare in ſcholis noſtris, aliis exploſis, voluimus; eumque in auctoritatem, tamquam Dei a ſecretis, recepimus; & tamen Paulus ait, *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam*. Et alibi; *Stultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi*. *7. Arg.* *Coloſſ. 2.* *1. Cor. 1.*

Ex quo factum eſſe poſtremo, ajunt, ut non tam multos, Superis ipſis inviſos gigantes, terra olim progenuerit, quot ſummo omnium opifici & parenti Deo rebelles hæreticos Scholaſtica ipſa Theologia tulerit. Quamobrem univerſam malorum colluviem, quam hiſce calamitoſis temporibus, magno Chriſtianæ Religionis incommodo patimur, eidem acceptam referri debere contendunt. *8. Arg.*

Hiſce, & multis aliis, non tam argumentis quam maledictis, non tam rationibus quam probris, non tam accuſationibus quam calumniis, labefactandæ Theologiæ gratia, imperitos adoleſcentes decipere, ac veluti quibuſdam præſtigiis ſeducere conantur. Quibus ego nunc pro officio meo ſigillatim reſpondere decrevi. Etenim quamquam particulares artes, & ſcientiæ contra eos, qui ſua demoliuntur principia, diſputare, eorumque rationes diſſolvere nequeant, ſupremæ tamen (cujuſmodi Theologia eſt) cum eorum confutare argumenta, tum adverſus illos diſſerere, & plane certare poſſunt, præcipue ſi in univerſum illi principia non negent. Quare, ut nonnulla adverſus impios illos prioris claſſis prælibavero, tum demum in hos Thraſones, non tam tela noſtra intendam, quam ipſorum retundam; daboque neceſſitudini, quæ inter

Digitized by Google

ter nos Chriſti ſanguine parta eſt, & inſtituto meo, atque conſuetudini, ut rationibus argumentiſque tantum, non probris & jurgiis, quam fieri poterit, etiam planiſſime inſtitutum opus abſolvam.

Recte igitur priores illos quiſpiam Diaboli ſimiles exiſtimaverit, qui humani generis aſſertori ac vindici, ut ſe deorſum mitteret, ſuadebat. Etenim, dum quæ ſupra nos, nihil ad nos; & mortalia ſola curanda prædicant, quid aliud, quæſo, ajunt, quam mitte te deorſum? At contra Paulus clamat: *Quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram*. Quamquam enim feratur humanus animus in amorem & ſtudium omnium quæcumque ſunt, maxime tamen avet ſuprema; quæ, etſi pro ſua imbecillitate leviter poteſt attingere, magis tamen oblectatur tam excellenti cognitione, quam ea, qua caduca hæc ſibi propiora & familiariora, plenius, & intimius perſcrutatur. Quod veluti typo quodam oſtendere mihi videtur Scriptura, ubi narrat Jacob adamaſſe magis, & deperiſſe pulchram, quamvis ſterilem Rachelem, quam fœcundam quidem, verum non æque formoſam, ſororem Liam. Et hæc fortaſſe eſt cœleſtis illa Platonis Venus, terrena Venere longe præſtantior: hæc celebris illa mors noſtra, animæ videlicet a corpore quovis, tam utilis & felix disjunctio; & per contemplationem cum ſempiternis numinibus copulatio. Quomodo igitur, o curvæ in terris animæ, innatæ huic tam honeſtæ cupiditati noſtræ ſatisfactum aliquando iri recte putabitis, e medio ſublata omni rerum divinarum Theoria, atque adeo ipſa Theologia! Quomodo non irridebitur natura, atque etiam divina providentia, quæ hominem tamquam Proteum quemdam, aut etiam Vertumnum propterea finxit, ut dum effici conatur ſenſibilia omnia ſentiendo, & intelligibilia intelligendo, ſupremum tandem intelligibile contemplando evadat, in idque convertatur. Neque enim natura talem eum finxiſſet, ut ea ſola quæ infra illum ſunt, contemplaretur, atque adeo in deteriora ſe verteretur: ſic enim ejus finis, neutiquam præſtantior illo eſſet; ſed cogitandum potius, id fuiſſe divinæ providentiæ conſilium, ut hominem propiora hæc entia primum luſtrare, in eorumque formas verti voluerit, ut iis veluti alis quibuſdam inſtru-

Matth. 4.

Coloſſ. 3.

Gen. 29.

In Convivio In Phædone.

Digitized by Google

ſtructus, & certo quodam lumine purgatus, atque affectus, tum demum ad ſuperiora, & quam maxime ad primum, in cujus contemplatione ejus ſita eſt felicitas & beatitas, facile poſſet conſcendere; Deuſque eminentiori quodam modo evaderet. Fit enim ex intellectu, & intelligibili verius unum, quam ex anima & corpore hoc, quod cernitis, juvenes; idque ſane videtur teſtari etiam Paulus, cum ait: *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus fit cum eo:* & Dominus, *ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus*. Quomodo igitur quæ ſupra nos, nihil ad nos; & curanda ſola mortalia? Quomodo nihil ſcire, vita non miſerrima eſt, ac turpiſſima? tantum abeſt, ut ſit feliciſſima. Alioquin cur ille ſapientiam regnis præpoſuit & divitiis? Cur David, quod plura majoribus ſuis intellexerat, exultavit? Cur Solon, alter Athenienſium legiſlator, dicebat, referente Platone, *Diſcenti aſſidue multa ſenecta venit?* Cur Theophraſtus, niſi philoſophandi cauſa naturam moriens accuſavit, quod tam exiguam vitam hominibus, quorum maxime intereraт, dediſſet? quod idem mihi & Magnus Hippocrates innuere plane videtur, cum ait, *Ars longa, vita brevis*, & quæ ſequuntur. Inepte igitur quidam feliciſſimos illos dixit, quibus prorſus licuit ab omnium diſciplinarum commercio abſtinere. Ergo ne Pythagoras, Plato & cæteri Philoſophi, qui tam magnam orbis partem, magnis vitæ incommodis, diſpendiis, diſcendi cauſa peragrarunt, nonniſi ut miſeri & infelices evaderent, ea incommoda ſubjerunt? Atqui, quomodo ab Eſaia, & Paulo, inter dona Spiritus ſancti, ſapientia connumeratur; & a Deo nos illam efflagitare docet Jacobus? Faceſſant igitur tam impii rabulæ: ac ſi qui ſunt, qui a probe inſtituta republica improbos homines honeſtatis gratia, & virtutis amore exegerint umquam, hos non tam in Deum injurios, & Chriſtianæ Religionis hoſtes, quam etiam cujuſque præclaræ philoſophiæ adverſarios exigant, hos exterminent, deperdant, ac penitus profligent; *Reſecandæ* ſunt, inquit Hieronymus, *putridæ carnes, & ſcabioſa ovis a caulis repellenda, ne tota domus, maſſa, corpus & pecora ardeant, corrumpantur, putreſcant, intereant*. Neque enim *pectora tantis obſeſſa malis, ſunt ictu ferienda levi; ſed immedicabile vulnus enſe recidendum eſt.*

1. Cor. 6. *Joan. 17.* *De Philoſ. & de fortitud.* *Aphor. 1.* *Eſai. 11. 1. Cor. 12.* *Jacob. 1.* *24. q. 3.*

Verum

Verum religio, mihi credite, eſt cum his amplius agere; quare ad alios jam me converto,

Reſp. ad 1. Arg. Et primum illos percunctabor, cum ab unitate ad numerum & multitudinem progrediendum eſſe natura doceat; cur increpandos Theologos arbitrentur, qui a Deo ad creaturas, tamquam per gradus quoſdam inferiores, pulcherrima methodo, venuſte deſcendunt? Nec me latet, a principio rei inchoandum ſemper non eſſe, ſed unde quiſpiam commode, & facillime poteſt diſcere, nempe a prioribus nobis, & magis notis; at vero, quid homini Chriſtiano (quem præcipue Theologus noſter inſtituit) Deo Optimo & Maximo notius & plane propius eſſe debet? Nonne in orthodoxa ſchola primum id elmentum docetur: *Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ?* Nonne Paulus, cum ait: *Ignorantiam Dei quidam habent*, quoſdam tamquam ἀναλφαβήτυς notat? Fortaſſe prophanis hominibus notiores ſunt creaturæ. Verum Chriſtiano homini nihil poteſt, aut notius eſſe, aut antiquius Dei notitia, quam a cunabilis ipſis fide ſuſcepit. Accedit, quod uti Deus, ſeipſum cognoſcens alia intuetur, ita Theologus noſter, qui eum ſtudet quam maxime etiam referre, & omnibus modis exprimere, a Deo ad creaturas tamquam a montis vertice ad radicem deſcendit, & rurſum veluti præpetibus pennis inſtructus, in ſublime ſe tollit; ut Theologiæ noſtræ ordo ſimilis ſit motui primæ ſphæræ, quæ ab Oriente in Occidentem convertitur: Philoſophorum vero methodus orbibus planetarum, qui contrario fere motu cientur. Quamquam divinus ille Plato, eodem quo & nos ordine, interdum progreditur.

D. Thom. 1. con. Gen. c. 4.

1. Cor. 15.

Reſp. ad 2. Porro autem cum non tam creaturas, quam creatorem in creaturis, tamquam in ſpeculo, Theologus contempletur; quæ tandem dementia eſt, hoc nomine, quod creaturas diligenter conſideret, illum velle reprehendere? Adhæc, cum naturalia ſint divinorum effectus, ſubjecta, & imagines; negari recte non poteſt, quin ad Dei notitiam uberius hauriendam quadantenus facere queant. Cumque fides plurima nobis naturæ arcana, philoſophis etiam antea inacceſſa aperuerit; quid mirum ſi naturalium quoque rerum cognitio in enodandis, explicandiſque

fidei

fidei myſteriis, interdum humano ingenio ancillatur? Atqui Plato quoque, & Pythagoras olim, ut refert Simplicius, ſic naturalia tractarunt, quatenus res divinas participabant: *In princip. expoſit. in prædicam. Ariſt.* nec enim tam magnum chaos intercedit inter illa, ut commode ab una ad alteram claſſem tranſiri nequeat, mutuaſque ſibi dare operas utraque non poſſint; quamquam Ariſtoteles nuſquam vult a natura diſcedere, quin etiam dum aſſurgit, mavult, quæ naturam excedunt per habitum naturalem ſpeculari. Præterea, quomodo ſpinoſæ illæ multorum hæreticorum de Deo ſententiæ propter creaturarum inſcitiam ſubortæ, *S. Th. ubi ſup.* commode abſque creaturarum tractatione, aut ſuccidi aut evelli a Theologo poterunt? Jam vero nequaquam naturalis Theoria, ſed divina dicenda eſt hæc contemplatio, quæ divino lumine illuſtrata creaturas ad Deum tamquam ad ſubjectum perpetuo refert, & ſpeculatur.

Cæterum, cum magnus ille Artaxerſes, Perſarum Rex, *Reſp. ad 3. Arg.* balbos & indiſertos homines in colloquium, non ſolum admittere, ſed etiam accerſire interdum ſoleret, ut majore voluptate, diſertiſſimos & facundiſſimos oratores poſtmodum loquentes audiret: ea eſt tamen adverſariorum importunitas, Auditores, & plane malus genius, ut eruditas aures ea voluptate frui aliquando nolint, dum illas non niſi Latinæ, aut etiam Græcæ linguæ meras delitias auſcultare patiuntur. Sed agite, videamus, an recte ſordidos nos, & balbos homines vocent. Neminem ſane tam hebetis, ſocordiſque ingenii aliquando fuiſſe exiſtimo, qui eloquentiam cum ſapientia conjunctam, non magnopere etiam laudarit; quinimmo eloquentiam ſine ſapientia nimium obeſſe plerumque, prodeſſe numquam, teſte ipſo Cicerone, compertum eſt. *1. de Invent.* Sed quemadmodum alia eſt eloquentia, inquit Auguſtinus, quæ ſenes, alia quæ juvenes decet: *4. de doct. Chriſt. cap. 6.* (nec enim eloquentia ea dicenda eſt, quæ perſonæ non congruit eloquentis) ita alia eſt, quæ Theologum, alia quæ Rhetorem, quod ii minime attendunt, decet. Siquidem Paulus, ſe annunciare, quæ a Deo donata ſunt nobis, *Non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis* affirmat. *1. Cor. 2.* Et mox, quaſi miro artificio, adverſarios imperitiæ, & levitatis nomine ſugillans: *Spiritualibus*, inquit, *ſpiritualia comparantes.*

tes.

tes. Perinde quaſi eos hunc in modum amice compellaret: Veſtra ſane ſapientia, fratres, humanis verbis explicari deſiderat, quæ coloribus ſunt picturata, numeris inſtructa, diligentia exornata: ſed noſtra, quam a Divino Spiritu haurimus, hujuſmodi verba recuſat; & ea, quæ ſunt ſine fuco, ſine dolo, pura, ſimplicia, caſta, inaffectata a nobis requirit. His recondita illa Spiritus ſancti arcana, non tam ego deprompſi, quam alios etiam expromere volui; cui Cyprianus hunc in modum ſubſcribit: *In judicii contentione pro roſtris, opulenta facundia volubili ambitione jactetur; cum de Domino ac Deo vox eſt, vocis pura ſinceritas, non eloquentiæ viribus nititur ad fidei argumenta, ſed rebus*. Cum igitur Theologus non ad Demoſthenis, & Tullii officinam, & incudem, eloquentiam ſuam examinet ac probet, ſed ad ipſam ſanctarum Scripturarum ſimplicitatem, & puritatem, quæ etſi grandiloquum illum ſonum non buccinent, ſed exilem potius & infirmum; ea tamen introrſus majeſtate & virtute, tamquam cœleſtes Sileni, & Spiritus ſancti organa præditæ ſunt, ut non tam præ cæteris rectius doceant, penitius delectent, facilius perſuadeant, quam etiam magnarum ſint effectrices virtutum; ut per eas cœci videant, claudi ambulent, ſurdi audiant, & denique mortui excitentur: hæc, inquam, cum ita ſint, profecto non tam incultus, quam ſimplex, non tam ſordidus, quam non affectatus, non tam exilis, quam purus jure optimo meritiſſimoque Theologus vocandus eſt. Accedit, quod non Latinos modo, & Græcos, ſed Scytas, & Afros, ſed ſapientes & parvulos, eruditos videlicet, & ignaros, promovere & inſtituere ſatagit; atque adeo illius dictionem, & phraſin omnibus accomodari, ac veluti rete in altum ad capiendum omnes extendi, operæpretium fuit. Adhæc, dum Philoſophos expugnat, hæreticos devincit, improbos coercet, bonos complectitur, neutiquam eloquentiæ veſtræ viribus factum, ſed mole & pondere veritatis fateri cogimur; ut quod Hieronymus de Scripturis, nos de toto Theologiæ genere dicere poſſimus; *Eſt in verbis ſimplicibus ſemper ſenſus auguſtior;* & quidem quo minus verborum illuſtrium, hoc graviores ſententias; quo minus foliorum, hoc fructuum uberiorem copiam habet; quo in cortice craſſior, hoc in medulla ſuavior,

Epiſt. 2. ad Donatum.

Lib. adv. Jovin.

vior, *etſi imperitus ſermone*, inquit Paulus, *non tamen* 2. Cor. 11.
ſcientia. Poſtremo, ut a Poetis & Oratoribus verborum
ſplendor, a Philoſophis naturæ cognitio, ita propemodum
a Theologo integra chriſtianæ pietatis ſententia, rectaque
ad bene, pieque vivendum præcepta tantum petenda ſunt:
hæc ut exhibuit, ſuo ille functus eſt officio, nec poteſt elo-
quentia ab eo prudenter deſiderari, ſicut nec ab olea ficus,
nec a vinea mala. Cæterum ſapientiſſime Plato: *Cum de
re agitur, fruſtra* (inquit) *elegantiam, aut ruditatem ver-* In 1. de leg.
borum attendimus. Et Boetius; *In his ſcriptis, in quibus* In princip.
rerum cognitio quæritur, non luculentæ orationis lepos, ſed lib. prædicam-
incorrupta veritas exprimenda eſt. Quare iniqua eſt horum menti.
querela, Auditores, quam etiam graviſſimis argumentis
olim major Picus plane rejecit, ac diluit; quæ nos in præ- In Epiſt. ad
ſenti ne acta ageremus minime attigimus, paucis his no- Hermolaum
ſtris abunde vobis ſatisfactum iri exiſtimantes. Barbarum.

Proinde ſi ſapientum mos eſt, *verba onerare ſententiis*, Reſp. ad 4.
ut Lyconienſis jampridem monuit, quæ (ut inquit Plato) Arg.
natatorem, qui ſe ad profundum uſque immergat, deſide- in Parmenid.
rant; minime mirum eſt, ſi tam præclara, reconditaque
Theologiæ myſteria, verbis licet quam maxime illuſtribus
explicata, tamen hominibus hiſce tardis & mollibus obſcu-
ra videantur. Quamquam & Simplicius, Veteres obſcure,
& involute illorum dogmata ſcripſiſſe teſtatur, ut imperi- Sup. text. 6.
tum vulgus, & homines tardos ab eorum lectione arce- 1. Phyſic.
rent, & procul amoverent. Et de Ægyptiis ſimile quid
Jamblicus quoque refert. Et Religionis noſtræ Principibus De myſter.
datum fuiſſe in Evangelio legimus Dei ſecreta altius hau- Ægyptio-
rire, & penitius rimari, cæteris vero primis tantum labris, rum.
in parabolis videlicet, deguſtare. Etenim ſi omnia æque Matth. 13.
nota eſſent omnibus, ac perſpicua, quid experientia, in-
duſtria, ſtudio, exercitatione, quid denique Spiritus ſan-
cti imploratione, cujus afflatu, ut ait Petrus, tam ſubli- 2. cap. 1.
mia hauriuntur & explicantur, opus eſſet? Quid paſtores,
& doctores, aut etiam matrem noſtram Eccleſiam conſule-
remus? Ut interim fuſius ne proſequar, quod Auguſtinus
ſummatim docet, obſcuritatem hanc, videlicet in ſanctis
Scripturis, Theologiciſque dogmatibus, *divinitus eſſe pro-* 2. de Doct.
viſam, ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum a fa- Chriſt. cap. 6.
ſtidio revocandum, cui facile inveſtigata plerumque vileſcunt.

Igitur (ut breviter abſolvam) cum Deus lucem nobis habitet inacceſſibilem, ſitque modis omnibus incomprehenſibilis atque ineffabilis, non poteſt a Theologo tam clare de illo, tamque dilucide agi, quin captum noſtrum ſemper altius ſupergrediatur. Quare, etſi pulcherrima eſt Scholaſticæ Theologiæ methodus, quæ ſupervacanea ubique rejicit, neceſſaria non adimit, cuncta boni coqui inſtar, ut ait
In Phædro. Plato, in articulos recte diſſecat, apte definit, & exacte demonſtrat: fieri tamen nequit, ob ſubjecti amplitudinem atque præſtantiam, ut cum ad montis verticem cum Moyſe venerit, non adhuc caligine perfundatur, ut ſemper hic
De myſtic. Theol. cap. 1. verum ſit, quod Dionyſius ait: *Deo tamquam ignoto conjungimur*, ut potius imbecillitas noſtra, quam artis induſtria culpanda videatur.

Reſp. ad 5. Arg. Jam vero cum nos ſophiſtas, & litigioſos vocant, modeſtiam ſuam produnt; & quidem ſi de Aſini, quod ajunt, umbra, Auditores, quemadmodum illi factitare ſolent, diſceptaremus, profecto ſophiſtas nos, & litigioſos merito vocarent: at cum de ampliſſimis tum divinarum rerum, tum naturæ ſecretis, ex his quæ divinitus, vel etiam humanitus edocemur, non ſolum affectiones & proprietates venari, verum etiam cauſas, & naturas diſquirere, non in vulgi, aut puerorum theatro, ſed in Theologorum coronis, in conſeſſibus ſapientum, mutuis congreſſibus, & inveſtigationibus, cæteriſque Scholaſticis exercitiis, quibus rerum veritatem, cum ex Democriti puteo, tum ex antro Heracliti, eruere ſæpe ſolemus; non ſophiſtas, ſed candidatos, non litigioſos, ſed diligentes, non moroſos, ſed perſpicaces exiſtimare debuiſſent. Accedit, quod ſicut gymnaſtica corpora redduntur firmiora; ita palæſtra literaria ingenii vires fiunt vegetiores, atque etiam una cum literis natare, hoc eſt, non tam leviter, ut illi effutire, ſed ad multa prius reſpicere, & exactius ſingula perpendere, juvenes noſtri addiſcunt. Poſtremo huc nos Porphyrii, Celſi, Libanii, Juliani, multorumque cum Philoſophorum, tum Rhetorum argumenta, atque cavilli; huc Arrii, Sabellii, Neſtorii, cæterorumque hæreticorum pertinacia, & procacitas compulerunt; ut intermiſſo plano illo, & ſplendido Theologiæ genere, quo majores noſtri uti ſolebant; acutum, breve, & acre genus iſtud, multo ſane ad comi-

rius

nus cum illis pro veritate pugnandum promptius, atque efficacius, complecteremur: atque adeo (proh dolor!), altera tantum manu templum Domini ædificare, altera vero nos liberoſque noſtros, brevibus hiſce pugionibus, ab iniquis hoſtibus defendere cogeremur: *Quorum etiam improbitas*, inquit Athanaſius *contra inſolentes quæſtionum illarum novitates, rebus immutabiliter permanentibus, nominum vocabula mutare, & ſignificantius rerum naturas exprimere nos adegit.* Ergo non prophanas vocum novitates ſectamur, ut calumniantur; cum Scripturis ſacris ea quæ docemus non adverſentur; nec multum altercando veritatem amittimus, quod ordine & modo inter nos diſceptationes noſtras abſolvere conſueverimus.

Sive Auctor diſput. cum Arrio, coram Probo, & S. Th. 1. p. 29. art. 3.

Non minori etiam levitate feruntur, cum nos in multas, non tam claſſes quam ſectas, contra Pauli præceptum, diviſos eſſe affirmant. Nam ſi de chriſtianæ pietatis ſacroſanctis dogmatibus hæc de nobis aſſeverant, pura hæc eſt calumnia, & mera impoſtura; ſi vero de Naturæ contemplationibus, aut dialecticis, vel etiam metaphyſicis loquantur, profecto non tam nos, quam diſciplinarum omnium profeſſores accuſant: quorum etiam modeſtiſſimi inter ſe neutiquam videntur convenire: præcipueque Philoſophi, qui ab ipſis quoque Philoſophiæ incunabulis, aut inquirendæ veritatis gratia, aut ob eorum, a quibus inſtituti fuerant, benevolam obſervantiam, diverſa & plane contraria, non abſque conſilio tamen, & rationibus, uti fere vulgus ſolet, ſequuntur.

Reſp. ad 6. Arg.

Tres mihi convivæ prope diſſentire videntur,
Poſcentes vario multum diverſa palato.

Horatius lib. 2. Epiſt.

Atqui non quemvis temere doctorem, & citra delectum, quiſque noſtrum ſibi ſequendum proponit; ſed præcipuum quemdam, & claſſicum, qui eruditionis ſplendore tantum reliquis præſtet, quantum Sol ſyderibus omnibus. Ut enim (quod ait quidam) plures urbes perluſtraſſe pulchrum eſt, unam vero optimam incolere expedit; ita plures auctores perlegiſſe prodeſt; unus tamen habendus familiaris, qui cæteris præſtet: alioquin peregrini eſt multa habere hoſpitia, & paucas amicitias; & faſtidientis ſtomachi eſt multa deguſtare. Nec in præceptoris verba juramus, quemadmodum veteres Pythagoricos factitaſſe legimus, qui-

 bus

Epist. 8. ad Hieron. bus αὐτὸς ἔφη, pro ratione habebatur. Nos enim cùm Auguſtino ſolis Canonicis libris hunc honorem recte deferimus, ut neutiquam quæ inde efferuntur, ad ingenii noſtri trutinam, vel eruditionis noſtræ cotem quovis modo probari patiamur. Reliquorum non tam auctoritati, quam rationibus, non tam nomini, quam probe expoſitæ veritati, *11. Met. c. 45.* quod recte conſulit Ariſtoteles, aſſentiendum putamus: quibus ob inſignem doctrinam, qua de Chriſtiana Republica benemeriti ſemper exiſtimati ſunt, tantum auctoritatis tot ſæculis catholica Eccleſia detulit, ut eorum aliquos, præcipueque Aquinatem Thomam, quem ego ſequor, publico edicto probarit; eorumque teſtimonia clariſſimi quique viri, quoties commodum eſt, minime citare gravantur. Nil igitur mirum, ſi eos ſecundo loco colimus, ſuſpicimus, efferimus, ac velnti patronos noſtros veneramur, per quos, tamquam Dei a ſecretis, & fidos illius interpretes, ad ſanctarum Scripturarum hauriendam intelligentiam, ſpretis, ut par eſt, hæreticorum, & vaniſſimorum hominum commentis, Chriſtianum populum, ſplendidis illis titulis, quadantenus eorum merita, & amplitudinem indicantibus, non tam accerſimus & invitamus, quam *Luc. 14* etiam juxta mandatum Domini, compellimus.

Resp. ad 7. Arg. Sed accurrite nunc omnes augures, aruſpices, novum portentum conſpicite; nimia eſt cum Philoſophia Theologis Scholaſticis affinitas, & neceſſitudo; quam tamen *1. Cor. 15.* Paulus paſſim irridet & vetat. Hic, Auditores, non depro- *Act. 17.* mam, Paulum Philoſophorum atque Poetarum teſtimoniis interdum uſum fuiſſe. Non excutiam veterum Theo- *In Epist. ad Magnum.* logorum ſcripta, quæ fuſius Hieronymus docet, Philoſophorum ſententiis paſſim eſſe referta. Non hic Auguſtinum commemorabo, qui Scripturarum exemplis ad philoſophiæ, hiſtoriæ, cæterarumque bonarum artium ſtudium *Toto fere lib. 2. de Doct. Christ.* nos adhortatur. Prætereo Gregorium Nazianzenum, qui philoſophiæ etiam laudes ſumma eloquentia alicubi perſe- *In Monod.* quitur; uno tantum Pauli teſtimonio peregregio, atque clariſſimo adverſariorum procacitatem retundam, qui Philippenſes ſuos inſtituens, non tantum nudum Evangelii corticem, quod tunc forte nullum ſcriptum erat, ſed *quæcunque vera, quæcunque pudica, quæcunque ſancta cos* *Cap. 4.* *cogitare* monet. Proinde, ſi philoſophia eſt ſapientiæ, aut com-

Digitized by Google

comparandæ, aut retinendæ ſtudium, bonitatis, amoriſque divini erga nos, monimentum præcipuum; profecto quæ ab ea proficiſcuntur, nonniſi caſta, vera, & ſancta; chriſtianæque pietati prorſus conſentanea eſſe neceſſe eſt: vero enim verum ubique conſonat. Quamobrem jure Auguſtinus: *Illud quidem* (inquit) *quod veritas patefacit, libris ſanctis, ſive veteris, ſive novi Teſtamenti, nullo modo poteſt eſſe adverſum.* Qui igitur Philoſophiæ ſtudia aliquid, quod Religioni noſtræ officiat, ſecum afferre putant, vehementer, mea quidem ſententia, errant. Veritatem enim utraque ſtudia ſectantur. Quæ tamen ita inter ſe videntur diſcrepare, ut philoſophia naturæ lucernam ubique oleat; chriſtiana pietas divino ſplendore ſemper effulgeat. Hæc ſcilicet ſplendidiſſimis orta natalibus, in ſummum ipſum cœlitum genus ſuum proxime refert; illa vel a majoribus noſtris rerum cauſas præ admiratione ſcrutantibus, vel a Theuto illo Platonis Dæmone eſt adinventa, quam noſtra vere libera, atque omnium diſciplinarum domina, in famulitium, non ſane indiga, ſed noſtra tantum cauſa, interdum accerſit, ut veluti per ejus manus, rude quoddam ſimulachrum effingat, quod ipſa poſtea perpoliat & abſolvat. Et non hoc quidem, cum nos in Chriſti militiam primum conſcribit: tunc enim *non ſubtilitate argumentorum de induſtria Dialecticæ artis venientium*, ut inquit apud Athanaſium Probus, *ſed puris, ſimplicibuſque Scripturæ documentis robuſtius fulcienda eſt*, verum ut olim receptam, penitius modo intelligamus, & intellectam fortius ab improbis hominibus defendamus. Quamobrem illa omnia, quæ Philoſophia, vel de natura ſapienter definit, vel de moribus prudenter diſſerit, vel de metaphyſicis ſubtiliter diſputat, non ſolum a Theologo non ſunt aſpernanda, quin potius illuſtranda & comprobanda. Neque enim naturam Fides noſtra averſatur, ſed perficit, ſed evehit. Atque erroris illorum, qui Philoſophiæ ſtudium vituperant, cauſam hanc ego eſſe exiſtimo; quod quidquid ab Ariſtotele, aut etiam a Platone, qui Philoſophorum præcipui non injuria cenſentur, quorum pleraque dogmata ſacroſanctæ Religioni noſtræ adverſari perſpicuum eſt, aut enucleatum, aut aſſertum fuiſſe intellexerint, mox, tamquam e Philoſophiæ

2. de Gen. ad litt. cap. 18.

In Phæd.

Vit ſup.

penu, atque etiam ſinu prodiiſſe arbitrantur. Sed, ut hos Philoſophos interdum erraſſe, nemo Chriſtianus ivit inficias, ita non tam ut Philoſophiæ ſectatores, & ſtudioſos, quam ut ab ea devios, & profugos hallucinatos fuiſſe certo certius intelligimus. Nec Paulus eam, quæ vera Philoſophia eſt, vetat; ſed eam, quæ circumforanea, & circulatoria, ideſt, quæ ſapiens, non tam eſſe, quam videri cupit; cujus profeſſores fuiſſe, utrumque Hippiam, Protagoram, Prodicum, Eutydemum, & alios complures antiquitas ipſa prodit. Et ubi ſtultam illam appellat, vel ad divinam noſtram ſapientiam eam confert, vel profecto, ſi quando extra naturæ fines egreſſa divinam ridicula oppugnare audet, hac nomenclatura notat. Cur autem, præter cæteros Philoſophos, Ariſtotelem Theologorum ſcholæ ſuſpiciant, vel ipſis ſcholarum tyronibus rationes in promptu ſunt; ac nonniſi is hæſitare poſſe mihi videtur, num recte hoc fiat, qui illius Philoſophi in eruendis naturæ arcanis induſtriam, in ſtatuenda veritate robur, in confutandis adverſariis copiam & vim, in dividendis illuſtrandiſque ſcientiarum generibus ordinem & diligentiam, in tractandis illis, ubi eſſe commodum arbitratur, facilitatem, & perſpicuitatem, in verborum demum obſervanda proprietate perpetuam rationem, non obſervavit.

Reſp. ad 8. arg. Atqui & illud poſtremo attentius atque penitius erat eiſdem adverſariis noſtris conſiderandum, multos atque eoſdem inſignes admodum hæreſum expugnatores, ex ipſis Philoſophorum ſcholis temporibus omnibus prodiiſſe: in quibus, Baſilios, Gregorios, Cyrillos, Didymos ex Græcis, & ex Latinis, Cyprianum, Hieronymum, Auguſtinum, & Thomam proferre facile poſſumus, innumerabilibus pene aliis ſuppreſſis, quorum memoriam nulla unquam delebit oblivio, non Jovis ira, non ignis, nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas; ex quibus fuiſſe Theologos Scholaſticos adverſus hæreticos unanimes conſpiratores, longa tot ſæculorum ſerie, nemo doctus eſt, qui non fateatur. Neque prætereundum profecto eſt, adverſus hoc genus homines, multo plures hæreticos ex Grammaticorum pedagogiis, ex Rhetorum foro, & Poetarum theatris, quam ex ipſo Philoſophorum

con-

Digitized by Google

conventu egreſſos ſemper fuiſſe. Noſtra hæc infelicia tempora, quod dico, ſatis oſtendunt: quibus tot Eccleſiaſticæ pacis perturbatores ex ipſis Priſciani, & Demoſthenis Scholis, tamquam dato ſibi invicem ſigno, adverſus Eccleſiam irrupiſſe cernuntur. Et veteres majores noſtri, hæreticos fere omnes illorum temporum, mirum in modum dicendi copia, & arte præſtitiſſe teſtantur; ſic Cornelius Novatum, Auguſtinus Creſconium, Donatum, Parmenianum, Fauſtum, Cyrillus Julianum, Vincentius Lyrinenſis Photinum, Apollinarem, & nonnullos alios, Nicolaus Cuſanus Meemetum, diſertiſſimos, eloquentiſſimoſque fuiſſe ſcribunt. Quare manifeſta calumnia eſt, quæ Eccleſiæ diſſidia & controverſias Theologiæ Scholaſticæ adſcribit; cum illa omnes ſuas opes, & vires eo conferat atque intendat, ut non tantum hæreticorum ſpinas, & tribulos veritatis falce ſuccidat (quod vetus quoque Theologia præſtitit) verum etiam, veluti appoſita manu, evellat, ne repullulaſcere ullo tempore ampliùs poſſint.

Accuſat. tamen D. Hieron. Jovinianum, & alios quoſdam tamquam eloquentes, & prorſus infantes.

Jam vero, amici, finem huic argumento, trita illa Phavorini ſententia, imponere libet; *Præſtat a vobis graviter, & ſupra modum vituperari, quam frigide, & exigue laudari*, ſic enim nemo non hoſtes noſtros palam vos eſſe dignoſcit.

Gell. lib. 19. cap. 3.

Quare demum ad vos me verto præclara ingenia, quibus in tam copioſo argumento, laconica hac, & plane conciſa oratione, aliqua ex parte conſulere ſtudui: hiſce novis Momis, & atris delatoribus noſtris aures occludite, ſacramque Theologiam noſtram, cum primis præſtantiſſimam, ſive natalium ſplendorem, ſive ſubjecti amplitudinem, ſive certitudinis firmitatem, ſive methodi pulchritudinem, ſive dictionis ſimplicitatem, ſive rerum copiam & majeſtatem, ſive demum finis excellentiam ſpectare libeat, ſuſpicite, complectimini, fovete. In qua quiſquis veſtrum præterea vel antidotum aliquod adverſus mundi illecebras, & antiqui Serpentis virus requirit, vel reſidem & elangueſcentem animum excitare vult & roborare, vel vitam ſuam componere, probeque inſtituere; hæc, inquam, cumulatiſſime reperiet. *Nulli* (inquit Cicero) *ſatis eruditi videntur, quibus noſtra ignota ſunt.*

Lib. 1. de Finibus.

ſunt. Turpe ſane eſt ingenuo viro, qui in baptiſmate Chriſto Domino nomen dedit, & bonarum diſciplinarum ſtudiis ſe addixit, non de Deo, de Trinitate, de Chriſto, de Sacramentis, de Univerſo, de Angelis, de Homine, deque aliis tam ſublimibus, tamque præclaris rebus recte prudenterque cum ſentire, tum diſſerere intra Eccleſiam poſſe: Intra Eccleſiam, inquam, catholicam, & orthodoxam, extra quam quiſquis de his recte, aut ſentire, aut etiam loqui poſſe ſe putat, aut etiam ſalutem ſe conſecuturum ſperat, is plane cribro aquam haurire parat, & Iſthmum rurſum fodere tentat. Hæc nimirum noſter Œdipus eſt, & Samſonis vitula, in qua quiſquis arare negligit, Theologica problemata nullo umquam tempore diſſolvere poterit, aut explicare. Non vos, Juvenes præſtantiſſimi, inanes voces decipiant; non vos brevi peritura voluptas abducat, non vos tantilli ſtudii labor abſterreat. Comitem me vobis hujus itineris exhibeo; Ducem vero Aquinatem Thomam, non minus inter Sanctos doctiſſimum, quam inter doctos ſanctiſſimum: quem longe præcurrere, & anteire ſigniferos, & anteſignanos omnes, quos in hoc ſcribendi genere ſuſpicimus, cum eruditi omnes conſentiunt, tum illius monimenta maxime probant. Sine hujus auſpiciis (credite, quæſo) quiſquis tantum iter ingreditur, nihil aliud quam ſine pennis volare nititur. Hujus quamquam omnia, quæ reliquit, venuſte admodum, accurateque & pulcherrimo ordine conſcripta ſunt: quam tamen de Angelis in priori parte Summæ commentationem egit, ejuſmodi, mea ſententia, eſt, ut cum in reliquis omnes vicerit, in ea ſeipſum quoque viciſſe videri poſſit, ſive multitudinem quæſitorum & rerum pulcherrimarum copiam, ſive doctrinæ ſubtilitatem, & diſpoſitionis ordinem, ſive demum rerum perſpicuitatem, roburque ſpectemus.

Hanc pro delati mihi muneris functione, hoc anno felicibus auſpiciis interpretandam ſuſcepi; quam ut recte aſſequi mecum poſſitis, nec a vobis ſtudio, & exercitationi, nec a me diligentiæ, & labori parcendum eſt, non ad inanem quidem gloriolam captandam, aut curioſitatis cujuſdam gratia; ſed primæ tantum veritatis pulchri-

Digitized by Google

chritudine allecti ; quæ poſtquam nobis hic , veluti in ænigmate , Divi Thomæ induſtria ſeſe prodiderit , in patria demum cum ſanctis illis Spiritibus , revelata facie , beatos , & plane felices per ſeipſam perenniter reddet.

AUGU-

Digitized by Google

AUGUSTINO VALERIO

PATRITIO VENETO

VERONÆ EPISCOPO AMPLISSIMO.

F. HIERONYMUS VIELMIUS

EPISCOPUS ARGOLICENSIS.

S. P. D.

ORationem, quam de optimo Epiſcopi munere magna Epiſcoporum, & celeberrimi hujus Gymnaſii Doctorum, atque aliorum nobilium Virorum frequentia, in noſtris Patavinis Scholis habui, amicis poſtulantibus & efflagitantibus, in lucem prodire ſino; ſed ea lege & conditione, ut in Tuo nomine appareat. Poſtulabat enim, cum veritatis & pietatis doctrina hæc, quam, etſi minus pura & ornata dictione, flagranti certe charitate trado; tum vero eximius meus erga te amor & obſervantia ſingularis, ut tibi vere optimo, ſumma religione prædito, & eruditiſſimo Epiſcopo illam amanter inſcriberem, & commendarem. Eam igitur ad te mitto; & tibi proximum hunc Natalem Domini diem, & permultos in poſterum annos fauſtiſſimos & lætiſſimos, ad divini nominis gloriam, & iſtius nobiliſſimæ Eccleſiæ utilitatem, exopto, ac precor.

HIE-

Digitized by Google

HIERONYMI VIELMII VENETI

Ordinis Prædicatorum

Epiſcopi Æmonienſis, olim Argolicenſis

DE OPTIMO EPISCOPI MUNERE

ORATIO.

Patavii habita, III. Idus Novembris, 1565.

Quod veluti poſtliminio Epiſcopatus quoque dignitate auctus ad vos hoc tempore revertor, futuros ſane complures arbitror vel ex hoc lectiſſimæ juventutis flore, qui cum ordinis mei neminem in ſcholis adhuc publice profitentem viderint, & vetuſtatem omnem conſervandam ſuo loco putent, rei novitate commoti, magnopere admirentur. Sed & ſiqui ſunt, qui publicum hoc interpretandi munus, quod denuo aggredior, humile admodum abjectumque cum imperita multitudine arbitrentur; vel onera, quæ, Propontifici mihi, in regenda hac nobiliſſima Eccleſia quotidie ſubeunda ſunt, cum vigiliis & laboribus ſtudiorum, quæ huic loco debentur, imprudenter præpoſtereque contulerint; ii certe omnes conſilium hoc meum vel tamquam Epiſcopo indecorum, vel tamquam ſupra unius hominis vires nimis audacter ſuſceptum: (nam ne Hercules quidem, ut eſt in proverbio, adverſus duos) facile improbabunt. Exiſtimavi igitur operæ pretium eſſe, anteaquam propoſitum mihi argumentum explicare aggrediar, experiri, num vacillantes hos & nutantes rationibus ſiſtere & confirmare poſſim; & errorem, quem rei novitas afferre videtur, compluribus vetuſtatis exemplis in medium allatis depellere. Quod item gratum illis & jucundum fore non dubito; cum excitare ad exquirendas cauſas novitas magis, quam magnitudo rerum ſoleat. *Cicero lib. 2. de natura Deorum.* Oſtendam itaque Dominum & Salvatorem noſtrum Chriſtum Epiſcopis præcepiſſe non ſemel, ut ejus doctrinam omnes homines doceant, atque etiam, cum opus fuerit, ſtrenue, magnoque & flagranti charitatis ſtudio defendant; ſimulque ſanctiſſimos illos majores noſtres,

ſtros, quos tantopere, & merito quidem, veneramur, omnes in id potiſſimum totos incubuiſſe. Proferam autem primum veteris Eccleſiæ ſæcula, & iis, quibus nulla ex vetuſtatis cognitione eſt priſca opinio, nulla cana ſcientia, quos Plato pueros, noſtræ vero Religionis Duces infantes appellant, tamquam matris ubera ſugenda porrigam: ut intelligant nimirum omnes, ſi ſuggeſtum hoc ſplendidiſſimum, ſacras literas interpretaturus, Epiſcopus conſcendi, nihil propterea feciſſe me aut indecorum, aut novum, aut denique expectatione veſtra indignum; ſed pro officio meo, ſed more inſtitutoque majorum, ſed pro utilitate omnium veſtrum, quos ſemper amavi plurimum, ſemper eximia quadam charitate ſum proſequutus. Quamquam præterea nemo jure me reprehendere poſſet, ſi vel illa tantum ratio publice profitendi, quam ſemel elegeram, & conſuetudo jucundam mihi reddiderat, his Patavinis ſcholis denuo me reddidiſſet; quarum limina & ſubſellia adoleſcens diu contrivi, Cathedraſque junior, nec inglorius, quæ tamen veſtra fuit erga me humanitas, decennium fere obtinui. Sed & ampliſſimi Senatus Veneti auctoritas, quæ apud omnes pios & doctos auguſta & ſacroſancta perpetuo eſſe debet (nihil enim omiſerunt illi umquam, quod ad catholicam Religionem noſtram vel retinendam, vel propagandam facere videretur) cum huic me loco amanter honorificeque reſtituerit, vel ſola ſatis illis eſſe deberet, ſiqui ſunt, qui me vituperant, cui, ut par eſt, aſſentirentur omnes & acquieſcerent. Sed proferam graviores rationes, vos dicentem attento & benigno, ut facitis, quæſo, audite animo.

Plato in Timæo. Petrus 1. c. 2. Paul. 1. Cor. 3. Joan. 1. & 2.

Dominus & magiſter noſter Apoſtolos, eorumque ſucceſſores Epiſcopos, quos poſt ſuum ad Patrem aſcenſum Rectores & Moderatores eſſe volebat Reipublicæ ſuæ, quam in terris juſſu Patris, inſtar cœleſtis illius formabat, non modo luculentiſſimis verbis accurate & frequenter inſtituit, ſeque illis exemplar ad imitandum propoſuit; verum etiam pulcherrimis quibuſdam tropis, & familiaribus ſimilitudinibus, ut ſui eos officii gravius admoneret, vehementiuſque excitaret, tamquam elogiis quibuſdam, crebro & amanter ornavit. Etenim ſervos illos, & legatos vocantes ad nuptias & ad prandium homines, operarios in meſſe, Piſcato-

Aug. in Pſal. 44. Exod. 25. Heb. 8. Apoc. 21. Joan. 13. Matth. 23. Luc. 14.

ſcatores hominum, ſervos negotiantes, Prophetas, ſapien- *Matth. 9.*
tes, ſcribas, ſal terræ, civitatem ſupra montem poſitam, *Matth. 4. 5. & 25.*
lucernas ſuper candelabra, lucem denique mundi ἐμφατι-
κοτερῶς appellavit. Quibus plane non ad opes, non ad vo-
luptates, ſed ad officia, ad labores, atque, ut ait Paulus, *1. Thim. 3.*
ad opus ſe eſſe accitos intelligerent; nempe ad inſtituen-
dam regendamque illius rempublicam, quam & regnum
Dei, & Eccleſiam, & aliis nominibus vocamus, auguſta
quadam ligandi & ſolvendi homines, quam illis tribuit, *Aug. ad Paulinum Epiſt. 59.*
poteſtate; ſanctorum Signaculorum, quæ ipſe inſtituit, qui- *Vide 8. a.*
buſque a peccatis mundamur, & ab impiorum conventibus *1. Qui Epiſcopatum.*
ſecernimur, adminiſtratione; innocentis & præclaræ vitæ *Joan. 7 & 8.*
exemplo, & cœleſtis doctrinæ, quam a Patre ipſe acce-
perat, legatuſque ad nos multifariam illos docuerat, ſin-
cera quadam & incorrupta traditione & explicatione. Pro-
inde quoque in veterum Prophetarum monumentis illos *Hierem. 3. Ezech. 34.*
jamdudum etiam Paſtores, eleganti miroque artificio nun-
cupavit. Verum ne ovicularum dominos forte illi ſe eſſe
propterea exiſtimarent, Petro Apoſtolorum Principi dixit: *Joan. 21.*
Paſce oves meas: nimirum dominum ſe illarum, non ve-
ro alium quemquam, eſſe demonſtrans; eoſque gregibus
præfici uti opiliones, qui ovium curam nec ſocordes nec *Ezech. 34.*
oſcitantes gererent, optimis paſcuis omnes in univerſum
alerent, infirmas conſolidarent, ſanarent ægrotas, confra-
ctas alligarent, reducerent abjectas, & quæ perierant
quærerent, morte denique pro earum ſalute (ſiquando res *Joan. 10.*
ita ferret) cum lupis & feris congredientes libenter ſubi-
rent. His igitur obſequiis, famulatum, ad quem aſci-
ſcuntur, exequi; his officiis & pietate eximiam charita-
tem illam, qua cæteris omnibus præſtare debent, exerce-
re illos erga ſe mandavit.

At vero, quoniam fides noſtra eſt reipublicæ hujus
quaſi nervus quidam & ligamentum, eſtque univerſæ Re-
ligionis, ceu turris cujuſdam eminentiſſimæ, quæ ad cœ-
lum uſque tollitur, hypoſtaſis quædam, ut ait Paulus, & *Heb. 11.*
fulcrum; eaque tota cœleſti doctrina nititur, itaut con-
vulſa doctrina, fides confeſtim concidat, & hac disjecta
atque everſa, Religio tota funditus corruat: voluit, ut
cum in reliquis obeundis muneribus nec inertes eſſent, nec
dormitantes, tum vero in ſtabilienda doctrina, inque il-
lius

lius verbo longe lateque propagando, vigilantiſſimos ſtudioſiſſimoſque ſe perpetuo præberent: voluit, ut inter cætera omnia quamlibet neceſſaria ad tranquillitatem reipublicæ ſuæ tuendam conſervandamque, principem locum obtineret ſtudium retinendæ fidei noſtræ; ut ſicut hæc veluti ſolum quoddam & fundamentum eſt cœleſtium omnium bonorum, ita illius conſervatio præ cæteris ad eos potiſſimum pertineret, quos ad rerum gubernacula primos ſedere juſſiſſet. Quare ut concionarentur, ut docerent, utque de ſe teſtimonium populis omnibus citra delectum ferrent, frequenter his verbis diſerteque præcepit: *Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta*; & rurſum: *Ite, docete omnes gentes ſervare quæcumque mandavi vobis*; & alibi: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; adhæc: *Ite in Mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ*; & poſtremo: *Eritis mihi teſtes in Judæa, & Hieruſalem, & uſque ad ultimum terræ*. An non mandata hæc, quæſo, graviſſima ſunt, & ſatis illuſtria divinæ voluntatis teſtimonia? Dicam hic Auditores, quod ſentio, an tacebo? Dicam plane, & id inſtituti mei ratio vehementer etiam poſtulat. Ego, quantum ex his, & pleriſque aliis Domini verbis conſequi poſſum, ita cenſeo, nihil eſſe, in quod induſtriam conatuſque omnes ſuos Antiſtites ſacri conferre æque debeant, atque in id, ut verbum Dei doceant: nihil eſſe, quo apertius ipſi obedientiam ſuam declarare, certiuſque teſtatam facere poſſint, atque in conſervanda, & ab hæreticis, cæteriſque impuris hominibus eminus cominuſque vindicanda fide & Religione noſtra; ut non injuria Paulus hæc ab illis imprimis exegerit, ut fideles cohortari, & contradicentes refellere, & ſe denique, auditoreſque ſuos ſervare idonei ſint; & nuper Tridentina Synodus ſcite, graviterque pronunciaverit, præcipuum eſſe Paſtorum munus, prædicare. Jam vero, ſi (quod Theologi de ſchola omnium ſaniſſimi & clariſſimi docent) juxta ea, quæ hominibus Spiritus ſanctus diſtribuit, officia, menſura gratiæ & donorum conſtituenda eſt, quod & D. Baſilius non obſcure docet; probanda omnino videtur illa D. Auguſtini ſententia, Deum impertiri clariorem quamdam divinarum rerum cognitionem, excel-

Matth. 10. & 27. Joan. 2. Mar. 16.

Ad Titum cap. 1.

Seſſ. 8.

S. Thom. 3. 27. 4. Ad Epheſ. 1. lect. 1. In lib. de Spiritu ſancto, cap. 16. Super 1. caput Joannis.

excellentiuſque lumen Eccleſiarum Præfectis (niſi per illos ſteterit) præ communi lumine fidei, quo fideles generatim illuſtramur omnes, atque perfundimur: & ni fallor, hoc ipſum Dionyſius antea dixit, de Eccleſiaſtica Hierarchia, cap. 4. Nam compluribus præſidiis, maximis ſane atque firmiſſimis in univerſum illi juvantur, ut impoſita onera, quæ graviora quam cæteri ſuſtinent, levius ferre, & provinciam ſibi delatam gerere felicius poſſint. Siquidem & Apoſtolis Chriſtus (per quos vivam illam aquam doctrinæ ſuæ, qua mundamur & ſalvamur, tamquam per puriſſimos quoſdam canales in cæteros omnes homines tranſmiſſurus erat) cum arcana Patris permulta aperuit, quæ ipſe coram hauriebat; tum vero reconditos & abſtruſos Moſis, & Prophetarum ſenſus planos fecit & obvios, atque adeo celſiore ſplendidioreque luce affulſit: ut ſcilicet certiorem conſtantioremque fidem noſtram facerent, quod alioquin facere minime potuiſſent, ſicut Aquinas pulchre expendit. Et quidem vetus quoque Scriptura aperit, Deum detraxiſſe olim de ſpiritu, quo præditus erat Moſes veteris populi princeps & legiſlator, quem ſolis ſeptuaginta illis ſenatoribus, & magiſtratibus immiſerit: qui, ubi in eis inſediſſet, extemplo vaticinarentur; ac a Moſe ſecretiora legis myſteria, D. Hilario teſte, deinceps addiſcerent, quæ ſolis ſelectioribus auditoribus reſerarent, & veluti depoſitum commendarent.

Joann. 8. Luca 24.

1. contra Gen. 40. Num. 2.

In Pſal. 2.

Quæ cum ita eſſe exiſtimem, nequaquam tamen Henrico Gandavenſi aſſentior, qui putat lumen id præſtantiſſimum præcipua fidei noſtra capita, quæ articuli vocantur, majoribus, quibus inſidet, perſpicua & evidentia facere; docetque, ulterius progreſſus, claram hanc eorum intelligentiam una manere in illis cum fide. Satis enim idoneis argumentis a Durando doctore cumprimis illuſtri refellitur: atque illud plane efficeretur, ut uni eidemque menti articuli illi perſpicui eſſent, & obſcuri (ſiquidem fides, ut ait Paulus, non apparentium notitia eſt:) quod ego eſſe a ratione alienum ſemper exiſtimavi, etſi quidam defendere illud oſtentatione doctrinæ potius, quam veritatis conantur. Sed quid contentioſa ingenia non audent? quid, ut ſemel emiſſas ineptias tueantur, non moliuntur? Verum ſubtiliora hæc ſunt, & in aliud tempus rejicienda.

In Quodlib.

Q. 2. prolog. Vide S. Th. 2. 2. q. 1. Scotum 3. 24. q. unica. Gabriel Biel. 1. 23. Almainus 24. 1.

Nunc

Nunc id primum ex his, quæ dicta ſunt, quivis intelligere facile poteſt, & plura & meliora multo ab Epiſcopis expectanda eſſe, quam ab aliis minoris ordinis hominibus, quantumvis eruditione, ingenio, & eloquentia cum illis comparandi quoque viderentur; modo tamen lectioni ſanctarum literarum & diligentem illi operam dederint. Deinde vero, cum ferme operationum gratia ſint, & dona ad utilitatem Eccleſiæ cœleſtis ille Spiritus impartiatur, non poſſe eos, qui ampliore lumine perfunduntur, citra piaculum conticeſcere; non poſſe, cum formis illis nobiliſſimis præditi ſint, ſine gravioris delicti nota alios non inſtruere. *Veh mihi*, inquit Eſaias, *quia tacui*! & Paulus quoque, male futurum ſibi eſſe dicit, niſi evangelizaverit: ut inſignis eorum temeritatis & petulantiæ me admodum pudeat, qui docendi functionem tamquam Epiſcopo indecoram accuſant; cum ex firmiſſimis his rationibus, quæ allatæ ſunt, perſpicue appareat, nihil poſſe eum honeſtius, nihil officio ſuo conſentaneum magis, nihil demum Eccleſiæ Chriſti utilius agere.

1. Cor. 12. Hiero. in Hiere. c. 12.

Eſaia 6. 1. Cor. 9.

Sed liceat præterea communibus argumentis a moribus hominum, & a natura ipſa petitis uti; ac proinde eos interrogare, quos reprehendimus: Qui fit, ut diſcere ea præſertim, quæ ad bene beateque vivendum pertinent, cuivis ordini, cuivis ætati pulchrum eſſe omnes exiſtiment; eadem tamen docere turpe illis eſſe videatur? Rurſum, plantæ, & animalia ſuam perfectionem, & felicia incrementa tunc demum proferunt; & nobis quaſi declarant, cum eorum unumquodque aliud quidpiam, quale ipſum eſt, gignit, ac veluti in lucem edit; & non poterit eruditus Pontifex alios inſtituendo, & quaſi procreando, orbi oſtendere præclaram eam operam, quam multis vigiliis, magniſque laboribus, cumprimiſque Dei beneficio conſequutus eſt? Proh pudor! Adhæc, Angeli, & perennes illi beati Spiritus, auctore magno Dionyſio, purgant, illuminant, perficiunt; & Sacerdoti, qui Angelos referre, & plane exprimere, quoad patitur natura noſtra, ubique ſtudere debet, erit indecorum e mentibus hominum ignorantiæ tenebras depellere, eaſque ſplendore verbi Dei illuſtrare, ac demum perficere? Atqui Malachias Propheta hæc potiſſimum munera ab illo exigit, & cum ea præſtat (præſtare autem debet

4. Metheor.

Cap. 2.

debet cum poteſt) Angelum Domini diſerte appellat. His adde, quod Dominus nec ſcripſit ipſe quidquam, nec Apoſtolis, ut ſcriberent, præcepit: nequis, hæc evadere cogitans, imperite reſpondeat, ut libros Epiſcopi edant, quibus nos, poſteroſque domi doceant, ac ita eos ſuo probe functuros eſſe munere. At nec Philoſophorum præſtantiſſimi, Pythagoras, Socrates, Carneades, Archeſilaus, teſte Plutarcho, literis ſerio quidquam mandarunt. Qua de re, cum locus inciderit (incidet autem Deo favente diebus proximis) copioſe dicturus ſum. Nunc ſcire ſatis erit, Dominum juſſiſſe, ut prædicarent Apoſtoli, & ſacri Antiſtites eorum ſucceſſores, utque in cordibus fidelium ejus doctrinam & legem, juxta Hieremiæ vaticinium, inſererent. At libri magiſtri dicuntur: fateor; ſed muti, ſed inanimes; actio vero, & pronunciatio dicentis orationiſque anima, & vita eſt. Protrita doctis ſunt hæc; quamobrem miſſa illa faciamus, & ſapientiam audiamus, quæ functionem pulcherrimam hanc ita ornat, ac magnificit, ut dignam judicet perenni beatitudine; ſic enim loquitur: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt*. Atqui & Paulus verbi Dei interpretationem dono linguarum, quod plane nobiliſſimum eſt, & uſui hominum maxime neceſſarium, longius præfert, & prophetiam honoris cauſa appellat, & ratio plane ſuffragatur: illud enim linguarum donum ideo naſcentis Eccleſiæ initio fere omnibus credentibus, & paſſim dabatur, ut cæteros quoſque populos illi quoque commode inſtituerent, ac Evangelium docerent. Daniel etiam Vates illuſtris: Qui docti fuerint, inquit, fulgebunt quaſi ſplendor æthereus; & qui ad juſtitiam erudiunt multos, erunt ſtellarum ſimiles in omnem æternitatem. Pulchre ſane dictum. Nam quemadmodum elementa, & mixta omnia, quæ gignuntur & occidunt, nonniſi aſtrorum, cœleſtiumque orbium motu & lumine ſubſiſtunt, & vivunt; ita idiotæ & rudes homines ſola ſacrorum Interpretum opera & beneficio de ſempiterna ſalute, deque vita immortali recte ac certo conſequenda erudiuntur. Fides enim, ut Paulus docet, ex auditione eſt; proinde ſine præcone & legato verbum Dei prædicante concipi non poteſt: ut hinc videat acutus juvenis firmam rationem, cur Aquinas longe doctiſſimus

S. Thomas. 3. 43. 4.

Plutarchus de fortuna Alexandri.

Gellius lib. 1. c. 2.

Eccleſ. 24. 1. Cor. 14.

Cap. 12.

Ariſtoteles 8. phyſ. 2. Meteor. 1.

Rom. 10.

4. d. 49. q. 5.

ſimus ſcriptum reliquerit, eſſe actum charitatis & miſericordiæ docere; & cur Apoſtoli, auctore Luca, menſarum miniſterium in Diaconos rejecerint (etſi illis Eccleſiæ primordiis ii quoque concionarentur, ſed abſque Cathedra, ut adnotavit D. Ambroſius, ac, ut ego præterea ſentio, cum Epiſcopi, vel presbyteri coram non aderant;) nimirum ut operam omnem omnemque induſtriam optimo & ſplendidiſſimo huic muneri ſine ullo impedimento impenderent. Etenim, ut Marcus ſcribit, peragrarunt ubique docendo; & Paulus identidem cœlorum ſimiles eſſe dixit, qui ſuo quodam modo bonitatem, vim, & ſapientiam Dei omnibus populis conſpicui indeſinenter enarrant: unde & illud Davidis oraculum citat: *In omnem terram exivit ſonus eorum*, & quæ ſequuntur. Qui rurſus Corinthiis ſcribens, non multos ſe baptizaſſe ait, ſed provincias permultas luſtraſſe publice privatimque docendo, ob eamque rem labores, & ærumnas innumerabiles ſe eſſe perpeſſum: quibus verbis patenter aperit, diſſeminationem & explicationem Evangelii gravius munus eſſe, magiſque ſublime & neceſſarium, quam ſola baptizandi muneris functio (licet & ad baptizandum quoque Apoſtoli miſſi fuerint) ac ipſis Eccleſiarum præfectis & moderatoribus quam maxime commendatum; unde & cum Epiſcopum alibi inſtitueret, eum oportere ait, eſſe doctorem; & cum Epheſiis ampliora illa Chriſti chariſmata, quibus benigniſſime & liberaliſſime Chriſtiani ditati ſumus, diligenter & tamquam porrecto indice enumerat, Paſtores & Doctores ſic invicem nectit, ut, quemadmodum Hieronymus, & Auguſtinus Eccleſiæ lumina perſpexerunt, unam ferme functionem, idemque officium utrumque donum eſſe oſtenderit. Nec injuria: etenim & Dominus, cum olim ſe daturum nobis juxta cor ſuum paſtores pollicitus eſſet, confeſtim ſubdidit: *Qui paſcent vos ſcientia & doctrina*; ea, inquam, doctrina, quam Salomon ſcientiam ſanctorum, credentium videlicet, appellat; quæ ſacra Scriptura eſt, quam explicaturus & enucleaturus, Deo favente, celebre hoc ſuggeſtum Epiſcopus & paſtor conſcendi, & quam Oſeas holocauſto præfert, & Dominus apud Ezechielem paſcua pinguia, paſcua virentia amæniſſimo tropo appellat. Quæ verba ſi conſiderarent ſtudioſi, mi-

rarer

In Epiſt. ad Epheſ. 4. — *Cap. 16.* — *Rom. 10.* — *Pſal. 18.* — *1. Cor. 1.* — *2. Cor. 1.* — *Matthæi ult. Marc. 16.* — *Cap. 3.* — *Hierony. ibi. Epheſ. 4. Auguſt. Epiſt. 58. Ezechiel. 3.*

rarer ego vehementer profecto, ſi non libentiſſime, & concito greſſu ad ſacras literas percipiendas omnes accurerent. Itaque cum hæc omnia florentis illius & vere aureæ ætatis Eccleſiæ Pontifices majores noſtri humanitus cœlituſque eruditi probe intelligerent, domi, & foris, hoc eſt, ubi docendi opportunitas illis dabatur, in templis, in foro, in ſcholis, in compitis, in vicis, concionibus, congreſſibus, diſputationibus, cœleſtem Salvatoris noſtri doctrinam puram & immaculatam omnium mentibus inſtillare atque imprimere conabantur. Quamquam enim noſtra hac ætate primoribus in more poſitum eſt, ut vel nonniſi privatis colloquiis domi, ſi quando opus ſit, vel publicis concionibus, in ſacris ædibus, diebus feſtis, ſtatiſque feriis verba faciant, quod nimirum locus ille, ut ſacratior eſt, ita ad continendum in officio populum eſt accomodatior; tamen veteres illi Antiſtites alibi quoque profiteri, & docere, cum res ita poſtulabat, minime recuſabant. Adamarunt autem, & coluerunt præcipue Scholas, proximumque ſanctis templis veneratione locum habere voluerunt, quod in his hominum mentes, animi, linguæ egregiis diſciplinis inſtituantur, & ad optima quæque informentur; compluresſque inde egredi ſæpe ſoleant, qui univerſo orbi ornamento ſint & ſplendori. Et quidem cum Romani Principes rerum domini nondum faſces Imperii Chriſto Domino ſubmiſiſſent, ſed immaniſſimis edictis in eos furerent, ac ſevirent, qui illi nomen dabant, Epiſcopi ſancti ſcholas, in quibus adoleſcentes, ac neophyti initiarentur, hoc eſt, fidei rudimenta addiſcerent, & provectiores ſolidiora noſtræ religionis dogmata perciperent, veterum Prophetarum more, nec ſine magno vitæ diſcrimine, domi aperuerunt. Cum primum autem bonorum proſcriptiones, exilia, carceres, ſupplicia, cædes veluti defatigatæ ceſſarunt, principumque rabies & æſtus deferbuit, extemplo quoque augeri noſtrorum hominum cœtus cœperunt, & Sacerdotes Cathedras in Eccleſiis palam conſcendere videbantur, ac interpretari ſacras literas, & confutare hæreticos, & noſtræ religionis hoſtes reliquos, ſicut & Auguſtinus ad Januarium ſcribit: ac præterea publicas ſcholas, & Academias florentiſſimas, in quibus docerent (gradatim tamen & pedetentim, & nonniſi

Sap. 10. *Oſea 6.* *Ezech. 34.*

in frequentiſſimis urbibus, generoſe, magnificeque inſtituerunt. Paulus Timotheum domi, domi alius quidam Epiſcopus in Aſia, Joanne Evangeliſta commendante (uti Euſebius narrat) juvenem quemdam erudiit. Sed & Anicetus Romanus Pontifex puerum Eleutherium, a religioſiſſima ejus matre ſibi traditum, ſacras literas domi ita edocuit, ut eum poſtea annos viginti dumtaxat natum, Nicephoro teſte, Epiſcopum Illyrici ſanctiſſimum habuerint. Porro autem Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus, vir & ſanctitate morum, & doctrinæ gloria præſtantiſſimus, ſe vidiſſe adhuc puerum Policarpum Smirnenſium Epiſcopum, quo illuſtriorem ætas illa neminem tulit, ad populum (opinor in ſacra æde) & alibi e Cathedra (nempe in ſcholis publicis, ut ego quidem arbitror) loquentem, ad Florinum ſcribit. Clemens quoque Alexandrinus quorumdam ſanctarum Scripturarum Interpretum, qui ſibi, aliiſque permultis eas prælegebant, mentionem facit, ac beatos appellat. Hujus porro Clementis auditor Origenes, & in publico docendi munere ſucceſſor clariſſimus, Scholarum, & Magiſtrorum ſimiliter meminit, quorum nonnulli incultis & rudioribus ingeniis excolendis & formandis, alii vero provectioribus inſtruendis operam darent. Euſebius quoque Cæſarienſis, & Hieronymus ſcriptores graviſſimi teſtantur, fuiſſe Antiochiæ, & Alexandriæ Academias celeberrimas primis illis temporibus, cum adoleſcere Chriſti Eccleſia videretur, quibus Pantænus, Clemens, Origenes, Heraclas, Didymus, Malchion ſacerdotes doctiſſimi glorioſe præeſſent; in iiſque non ſolum divina oracula, ſed etiam (quod magis mireris) Philoſophorum diſciplinas & monumenta publice interpretarentur: adeo Patres illi, cum divinarum, tum etiam humanarum rerum ignorationem, quæ animorum noſtrorum certum & præſentaneum venenum eſſe ſolet, execrabantur. Sed & Gregorius Nazianzenus Epiſcopus, ubi Magni Baſilii vitam & laudes perſequitur, Cæſarienſem ſcholam multis laudum præconiis, ut erat vir eloquentiſſimus, ornat. Et uterque Apollinarius, pater, & filius, presbyter videlicet, & Epiſcopus, cum Julianus Imperator publico edicto Gentiles vetuiſſet liberales, quas vocamus, artes Chriſtianos docere, ludum publicum aperuerunt, in quo Cyclicas omnes verbo, & ſcripto, prædalto & in-

2. Thimot. 3. — *Euſeb. lib. 3. 23.* — *Lib. 3. 29.* — *Adducitur ab Euſeb. lib. 5. 20.* — *Strom. lib. 1.* — *In Jud. Lem. 6.* — *Euſeb. lib. 5. cap. 9. & 10. & lib. 7. 9. Hieron. de ſcript. Eccl.* — *In Monod.* — *Vide Niceph. lib. 10. c. 25.*

& incomparabili quodam ingenio docebant, & Elleniſmum, qui noſtros inſcitiæ damnabat, ad ſummam admirationem pertraxerunt. Juſtinus itidem presbyter ac martyr beatiſſimus legitur habuiſſe Romæ diatribas, & in illis Creſcentem, obſcurum alioquin hæreticum, confutaſſe. *Hieronym. de ſcript. Eccl.*
Verum quid ago? quorſum faces in ſplendidiſſimo Sole quæro? Nonne Paulum Lucas in Actis commemorat & diſputaſſe Epheſi in ſchola cujuſdam Tyranni, & Athenis cum Philoſophis publice altiſſimis de rebus diſſeruiſſe? *Actor. 19. Actor. 17.*
Quoties quoque adverſus Judæos in Synagogis, in foro, & compitis pro religione pugnavit? Quid? nonne & Dominus noſter publicum quoddam & illuſtre Theologiæ Gymnaſium, cum verſaretur in terris, in Judæa, & Galilæa aperuit? nonne veluti greges auditorum, quos diſcipulos more ſuo Scriptura appellat, habebat? e quibus duodecim non prorſus arcano conſilio Apoſtolos nuncupavit; & cariores ita habuit, ut ſecretiorem quamdam doctrinam præ ſeptuaginta duobus, & cæteris omnibus, ut paulo ante dicebam, amanter doceret. Quamobrem & eos in hanc fere ſententiam alloquitur: Vobis arcana omnia mea noſſe datum eſt; Vobis, quas a Patre habui, revelationes amice & aperte expoſui; cæteris ſatis erit, ſi craſſius & in parabolis eas propoſuero. *Matth. 13. Luca 8. Joan. 8.*
Ut ſi eruditus quiſpiam Chriſti doctrinam partiri velit in acroamaticam, & exotericam, non defutura illi ratio ſit, cur id commode & venuſte faciat; diſcantque hinc Eccleſiarum Præfecti, quibus ille abſolutæ virtutis ſpecimen ſeſe ad imitandum propoſuit, & in Scholis quoque, cum ſua opera juvare alios poſſunt, ea, quæ ad bene beateque vivendum, & quæ ad æternam felicitatem comparandam faciunt, prudenter, graviter, conſtanterque omnibus impertiri. Sed pluribus exemplis vos minime detinebo: neque enim quibus rationes adeo graves, teſtimonia tam multa, exempla ita præclara, quæ in medium, preſſius quidem ob temporis anguſtias, ſed luculenter tamen attulimus, perſuadere longiori oratione poſſem. Dicam de me pauca in præſenti, quæ ad rem maxime pertinere, & ut intelligantur a vobis, magnopere neceſſaria mihi videntur; confeſtimque dicendi finem faciam. Ego, Auditores, cum animadverterem Eccleſiam Argos univerſi Peloponneſi clero, populo, religione, & opibus olim florentiſſimam, fu-

neſtiſſimis Turcarum bellis eſſe devaſtatam, atque etiam (proh dolor!) ferme extinctam; neque mihi ſpes ulla oſtenderetur fieri poſſe, ut, quod maxime cuperem, opera mea ulla ex parte vel inſtauraretur, vel erigeretur, rogatus animum appuli, ut Franciſcum, & Aloyſium ejus fratris filium, Piſanæ familiæ, quæ inter Senatorias Venetiis conſpicua eminet, nobiliſſimæ hujus Civitatis Antiſtites, Romanæque Eccleſiæ Cardinales ampliſſimos in regenda Eccleſia hac pro viribus juvarem. Ita enim Linus, & Cletus, quomodo mihi perſuaſum eſt, Petrum Romæ; ita Auguſtinus Valerium Hypponæ; & graviſſimi complures Epiſcopi, ne ſedentarii, ut dicitur, nullius in Chriſtiana Republica frugis eſſe viderentur, Epiſcopos alios in gubernandis eorum Eccleſiis & Patrum, & noſtra ætate, magna cum laude, juverunt. Cumque ferme triennium Epiſcopi munera reliqua ſic apud vos obiiſſem, ut ſiquis vigilantiam & vires, εὐδοκίαν tamen, hoc eſt, bene affectam erga vos omnes voluntatem & animi propenſionem nemo, ut arbitror, merito deſiderare poſſet; anxio nihilominus atque ægro animo ſæpe eram, quod domi mutus magis quam piſcis, permultis loquentibus, me continerem. Etenim quamvis & promiſcuum populum a catholicis cum primis atque clariſſimis Concionatoribus, in ſacris pleriſque ædibus, accurate inſtitui omni ſtudio curarem; & nobiliſſimam juventutem, quæ ad Civitatem hanc, tamquam ad alteras Athenas, & veluti ad omnium virtutum Emporium confluit, in externis quidem diſciplinis a celeberrimis his & longe excellentiſſimis doctoribus, & jureconſultis, & Philoſophis, & Medicis, & earum quoque diſciplinarum, quas humaniores vocant, cæterarumque bonarum artium profeſſoribus; in ſacris vero, quamquam pauciſſimi illi ſunt, a Patribus omni genere laudum cumulatiſſimis intra hæc tecta erudiri conſpicerem; deeſſe tamen integro meo muneri mihi videbar, quod excolendi prædii hujus functionem mandatam mihi præcipue fuiſſe, & ſine officio docendi probe exerceri non poſſe exiſtimarem. At vero cum latera, pectus, vocem (quæ omnia a popularibus Oratoribus firmiſſima exigi ſolent) minus liberaliter dediſſe mihi naturam intelligerem, non erat cur pro concionibus de erudienda plebe in templis cogitarem;

pro-

Digitized by Google

profiteri autem hoc loco meo tantum arbitratu, quod optime noſtis, nequaquam licebat: quapropter ſilentium id meum adhuc vel venia, vel excuſatione etiam Momo ipſi dignum videri potuit. Porro autem, cum Senatus intercluſam viam mihi ultro aperuerit, & profeſſionis hujus honeſtiſſimæ poteſtatem honorificam fecerit, deeſſe jam muneri meo non ſine religione profecto poteram. Nam quomodo Dominus, ſi hoc officii recuſarem, non me tamquam improbum famulum, & male de illius republica merentem male mulctaturus eſſet, atque adeo in carcerem & tenebras detruſurus? Quomodo Eccleſia Chriſti univerſa, cui ſummam debeo fidem & obſervantiam, non mecum graviter expoſtulare & conqueri merito poſſet? Nam, ſi alias umquam, profecto noſtra hac miſerrima ætate imprimis omnium bonorum opem mœſta illa, ac multis lachrymis ſupplex implorat; quippe cum tot hæreſum procellis agitetur, tot ſceleſtiſſimis hominibus dilaceretur, tot malorum lernis, quas inferorum portas pulchre Dominus appellat, undique vexetur; ut malus omnino filius, improbuſque illius miniſter dici jure poſſit, qui non ei ſuppetias pro virili tulerit. Hæ me rationes, Auditores, impulerunt, ne vacuas illas nubes & inania tonitrua ullatenus reformidarem; & ne talenta mihi a Deo tradita, quantulacumque illa ſint, exercere tractando, communicare docendo, & denique augere quærendo omitterem: qua in re, ipſo propitio, nec laborum, nec vigiliarum me umquam pigebit. Et quamquam doctorem nullis negotiis diſtractum, ſed a curis omnibus liberum eſſe oportere, Plato, aliique magni viri permulti velint; mihique quotidiana, & ferme perpetua incumbat Eccleſiæ hujus ampliſſimæ ſollicitudo & labor: tamen cum Domini munificentiam conſidero, animadvertoque innumerabiles Epiſcopos docendo ſcribendoque, multos maximoſque labores ſic exantlaſſe, ut muneri tamen reliquo propemodum raro, aut numquam defuerint; bonam capio ſpem, eum, qui dedit mihi velle, daturum quoque eſſe, niſi fuero prorſus ignavus, & perficere. Cæterum Epiſtolam D. Pauli ad Romanos ſcriptam, omnium Epiſtolarum præſtantiſſimam, difficillimam, atque noſtrorum temporum uſui maxime neceſſariam, ut vobis gratificarer prodeſſemque, interpre-

tandam ſuſcepi: cujus plane totam partitionem, diſtributionem, artificium, utilitatemque vobis exponere ac patefacere conabor proximis his diebus diligentiſſime. Nam cum vobis prodeſſe cupiam, ſimul etiam placere opto. Placere vero qui poſſim, ſi longitudine orationis moleſtus ſim diutius? Finem igitur dicendi facio, & vos ad pulcherrimam fructuoſiſſimamque cœleſtem hanc menſam invitatos volo. Quod ſi lubentes & frequentes acceſſeritis, non exiguam, ut ſpero, Deo optimo juvante, ex noſtro labore utilitatem conſequemini.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX

Rerum memorabilium, quæ in hoc opere continentur.

A

Abbas Trithemius nomen auctoris Correctorii Operum Thomæ prodidit. pag. 46.
Adamus Sosbout non recte arbitratur Commentarium in Eſaiam Thomæ non eſſe. 100.
Ægidius laudatur. 46. *quo tempore vixerit*. ibid. *ejuſdem de D. Thoma Teſtimonium*. 125.
Alexander Avogarus Vielmii coadjutor in Epiſcopatu Æmonienſi. 23.
Alberti Magni non probata ſententia. 65. *paraphraſten potius egit in Ariſtotele exponendo*. 96. *plurima volumina compoſuit*. 90.
Alexandri de Ales placita quædam exploſa. 65.
Ambroſii Catharini Epiſcopi Teſtimonium de Divo Thoma. 125.
Auguſtinus Valerius S. R. E. Cardinalis & Epiſcopus Veronenſis, Vielmii Romæ Auditor. 19.
Antonii Campani de D. Thoma Teſtimonium. 126.
Averroes Commentator Ariſtotelis dictus. 95.
Averroem Ariſtoteli parem, & D. Thomæ ſuperiorem facientes, inſanos apellat Vives. 96.
Angelus Maria Quirinus S. R. E. Cardinalis & Epiſcopus Brixienſis laudatur. 22.

B

Bargii levitas, & imprudentia. 65.
Bartholomæi Vincentini libelli valde commovent. 78.
Beſſarionis Teſtimonium de D. Thoma. 124.
Bonaventuræ opinio reiicitur. 64. *ejuſdem Itinerarium jure a Gerſone laudatur*. 78.
Bartholomæus Spina Vielmii præceptor. 14. 102.

Caje-

C

Cajetanus, quare ſategerit in explicandis quibuſdam Divi Thomæ locis. 133.
Catena aurea D. Thomæ. 101.
Cenſura in doctrinam D. Thomæ, edita nomine univerſitatis Pariſienſis. 46. 47.
Compendium facere quid ſignificet. 114.
Compendium pro Summa. ibid.
Compilatores qui ſunt dicendi. 61.
Concordiæ dictorum Thomæ liber, falſo adſcribitur ipſi Thomæ. 76.
Correctorium Operum S. Thomæ. 46. *ejus auctor Guillelmus Lamarenſis*. ibid.
Carolus Borromæus S. R. E. Cardinalis ſanctiſſimus, Vielmii Romæ Auditor. 19.
Commentarius in Matthæum eſt genuinum Divi Thomæ opus. 102.

D

Dionyſii Ciſtercienſis exploſa ſententia. 64.
Diſpendium facere quid ſignificet. 114.
Doctores veteres Eccleſiæ variis cognominationibus boneſtati. 52. 53.
Durandus improbatur. 64.

E

Egnatii Teſtimonium de Divi Thomæ libro adverſus Gentes. 108.
Eraſmi notatur temeritas. 97. *ejuſdem ſcripta, cur male audiant*. ibid.
Explanatoris officium. 103.
Explorata, & comperta omnibus ridicule oſtendere conamur. 39.

F

Factionum natura. 44.
Factioſi aliquot D. Thomæ obtrectatores. 43.
Franciſci Mayronis error. 65.
Franciſcus Vargas laudatur, ejuſque de D. Thoma Teſtimonium. 127.

Gaſpa-

G

Gaſparis Contareni Cardinalis de Divo Thoma Teſtimonium. 124.

Gennadii Teſtimonium de D. Thoma. ibid.

Græci, Thomæ nonnullos libros in linguam ſuam verterunt. 128.

Gregorius Ariminenſis improbatur. 64.

Gaſpar Negri Epiſcopus Parentinus laudatur. 11.

H

Hæretici metuunt Scholaſticos. 68.

Hæreticorum deſcriptio quædam. 43. 66.

Hieronymus Vielmius naſcitur Venetiis. 12. *Patavium ſtudiorum cauſa proficiſcitur.* ibid. *Prædicatorum Ordini nomen dat, Provinciæ Græcæ adſcriptus.* 13. *Veronæ in Cœnobio S. Anaſtaſiæ Religioni, & literis egregiam navat operam.* ibid. *non multo poſt Bizantium petit.* ibid. *in Cretam navigat.* ibid. *in monaſterio Cydonienſi ſtudiorum curriculum iterato ingreditur.* 14. *Patavium tranſmittitur.* ibid. *Scripturam Sacram interpretatur in Cœnobio S. Auguſtini.* ibid. *Magiſter Studentium inſtitutus.* ibid. *Alumnis SS. Joannis & Pauli Venetiis adſcribitur.* 15. *ad Baccalaureatum promovetur.* ibid. *ad Concilium Tridentinum pergit.* ibid. *Patavium revertitur, & in Collegium Doctorum cooptatur, conſequuta primum Theologiæ laurea.* 16. *Regentis officio fungitur in Cœnobio S. Auguſtini.* ibid. *ad metaphyſicam explicandam in publico Patavino Gymnaſio aſſumitur Veneti Senatus Decreto.* ibid. *Vicarius eligitur a PP. Provinciæ S. Dominici.* ibid. *Theologiam e ſupremo loco explicat.* 17. *Romam pergit, vocatus a Pio IV.* 18. *ab æmulis accuſatur apud Fidei Quæſitores, ſed innocens declaratur.* ibid. *profitetur Theologiam in Romano Lyceo.* 19. *Argolicenſis Epiſcopus primum creatur, & ſuffraganeus Eccleſiæ Patavinæ, poſtea ad Concilium Tridentinum mittitur.* 20. *Sacrarum Scripturarum profeſſor in publico Patavino Gymnaſio inſtitutus.* 21. *Epiſcopus Æmonienſis a Pio V. renuntiatur.* 23. *multa huic Eccleſiæ confert beneficia.* ibid. *Coadjutorem ſibi eligit.* ibid. *moritur Venetiis.* 24. *ejus Opera.* 27. *& ſeq.*

Inno-

Digitized by Google

I

Innocentii Pontificis de D. Thoma Teſtimonium. 123.
Joannes Damaſcenus primus Theologiam ordine diſtribuere aggreſſus eſt. 54.
Joannes Picus conciliationem D. Thomæ, & Scoti ſe editurum, ſi vita ſuppeteret, pollicebatur. 71.
Joannis Fiſcheri Cardinalis de Divo Thoma Teſtimonium. 124.
Joannes Baptiſta Vielmius Hieronymi noſtri parens. 12.
Joannes Maria Mazzuchellius laudatur. 27.
Joannis XXII. Teſtimonium de D. Thoma. 123.

L

Laurentii Juſtiniani libelli mirifice commovent. 78.
Libros præſtantiores, non plures componere, laudem meretur. 91.
Librorum appellatione quid intelligamus. 91.
Lutheri maledicta in D. Thomam. 41.

M

Marcus Antonius Marſilius Columna Archiepiſcopus Salernitanus, Vielmii in Romano Lyceo Auditor. 19.
Marci Antonii Flaminii Teſtimonium de D. Thoma. 99.
Martinus Magiſter Pariſienſis. 121.
Marcus Antonius Paſſerus, Genua cognominatus, Vielmii in Patavino Gymnaſio præceptor. 12.

N

Nili Teſſalonicenſis Teſtimonium de D. Thoma. 125.
Nemo cum aliorum injuria honorandus eſt. 45.

O

Origenes compoſitor nuncupatus. 89.
Olchot, inſignis alioquin Doctor, notatur. 64.
Onuphrius Panvinius, Opuſculum D. Thomæ de Regimine Principum revocat in dubium, num ſit germanus ejus fœtus. 94.

P

Pariſienſes Articuli. 71.

Pali-

Palinodia non improbanda. 75.
Petri Lombardi ſententiæ. 54.
Pomponatii Teſtimonium de D. Thomæ libro adverſus gentes. 108. *ejus judicium de D. Thoma.* 99.
Profanarum literarum eruditionem cum ſacra doctrina commiſcere non eſt abſurdum. 80.
Papadopoli error. 22.
Petrus de Alliaco, auctor Cenſuræ editæ nomine univerſitatis Pariſienſis. 49.
Pii V. de D. Thoma Teſtimonium. 123.

Q

Quodlibeta D. Thomæ. 111.
Quæſtiones ejuſdem diſputatæ. ibid.

R

Reales diſciplinæ. 92.
Rationales ſcientiæ. ibid.

S

Sacræ literæ oppugnatores habuerunt inſignes doctrina viros. 69.
Scholaſtici, & qui citra quingentos annos in Eccleſia floruerunt, ab eruditis quibuſdam indigni ut legantur exiſtimati. 50. *res tractant incredibili ſolertia, ac minuta quadam diligentia.* 62. *barbare loquuntur.* 56. *humiles, ac ſuorum ſcriptorum cenſuram minime rejiciunt.* 67. *eorum laudes, & cognominationes quædam.* 53.
Scriptoribus laudi datum eſt multa edidiſſe volumina. 89.
Scotus a D. Thoma in pleriſque, non rebus, ſed verbis diſſentit. 70. 71.
Scotus laudatus. 66.
Scriptum D. Thomæ. 106.
Sebaſtiani Foxii Teſtimonium de D. Thoma. 99.
Sixtus Medices Vielmii præceptor laudatur. 97.
Stephanus Uſuſmaris Generalis Magiſter Ordinis Prædicatorum. 105.
Sveſſani Teſtimonium de D. Thoma. 98.
Summa Thomæ in Naturalem, Moralem, & Sacramentalem. 115.
Summæ D. Thomæ præcipua capita. 116. 117. 118. 119.

Summa

Summa D. Thomæ laudatur. 111. 112.
Summam D. Thomæ aliqui non recte contraxerunt. 112.
Summa, vocabulum explicatur. 113.
Summa D. Thomæ. 55.

T

Tomaſinus refellitur. 22.
Theologia ſcriptis Patrum antiquorum diſperſa a ſcholaſticis digeſta eſt, & in unum corpus contracta. 53.
Theologi noſtri caſte, proprie, & accurate loqui jubentur. 56.
Theologi de homine, qui Dei imago eſt cumulatiſſime verba fecerunt. 117.
Theologia quid ſignificet. 114.
S. Thomæ oratio ſine barbariſmis & ſolæciſmis. 57. *laudatur Teſtimoniis quorumdam eloquentium virorum*. ibid. *ipſe & recentiores nonnulli melius res quaſdam aſſequuti ſunt, quam vel Baſilius, vel Hieronymus &c*. 60. *ejus liber de principiis naturæ, clavis librorum Philoſophiæ appellatus*. 100.
Thomæ libri Theologici dividuntur in tres claſſes, & ſubdividuntur. ibid. *ejus Opuſculorum nullus ordo eſt, & plerumque falſo Thomæ adſcribuntur*. 95. *qualis ſit in explicando Ariſtotele*. ibid. *nomen expoſitoris merito ſortitus*. ibid. *pluribus in locis eaſdem res repetenti vitio non vertendum*. 72. *in ſcriptis ſuis præſtat tria illa differendi genera, magnificum, ſubtile, mixtum*. 74. *quare obſcurus quibuſdam videatur*. ibid.
Thomæ comment. in Boetium de Hebdomad. & de Trinitate. 104. *commentarii in Boetium de conſolatione ejus non ſunt*. ibid. *oppugnatores Thomæ multi viri egregii, & magni in Eccleſia nominis*. 51. *ejus commentarii in Ariſtotelem, qui excellant*. 96. *quos libros Ariſtotelis expoſuerit*. ibid.
Thomæ tantam gratiam Spiritus Sanctus impertiit, ut nullibi aut contra Fidem, aut contra bonos mores erraſſe videatur. 66.
Thomas curioſus a quibuſdam habetur. 84. *taxatus in partitionibus, & ſubpartitionibus*. 86. *celeberrimos ſui temporis Auctores numquam allegat*. 87. *ejus doctrinam publico Edicto Eccleſia firmavit*. 63.

Ejus

Ejus doctrina teſtimoniis eruditiſſimorum Virorum præconiis celebratur. 124., *& ſeq. Quando libros ſuos ediderit*. 99. *vix quinquageſimum annum attigit*. 90. *multa, eaque ingentia volumina edidit*, ibid. *Thomæ in ſcribendo modus, ratio, mos, ingenium, ſtylus*. 128. 129. 130. *hæreticorum malleus*. 43. *ejus propugnatores præcipui*. 69. *libenter Auguſtinum ſequitur, atque exprimit*. 76. 77.

V

Verſiculos, & lineas quidam, nedum volumina ipſa, lucubrationeſque Auctorum indicarunt. 89.
Vincentius Juſtinianus Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter laudatur. 40.
Urbani V. de D. Thoma Teſtimonium. 123.

Errata	*Corrige*
Pag. 47. Theogiæ	Theologiæ
112. reperias	reperies
118. πάϑη	πάϑη
166. deſiderate	deſiderare
167. vigilarium	vigiliarum

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005665238 Digitized by Google